Universitäts- und Landesbibliothek Bonn

Emblemata || Nicolai Revs-||Neri IC. Partim Ethi-||Ca, Et Physica: Partim || verò Historica, & Hieroglyphica

Reusner, Nikolaus

Francoforti, 1581

VD16 R 1409

urn:nbn:de:hbz:5:1-304354

Visual Library

I

NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII, IC. ET P. C. EMBLEMATVM LIBER PRIMVS.

UNIVERSITÄTS- UND LANDES-BIBLIOTHEK BONN

ΣΤΝ ΔΤΩ ΕΡΧΟΜΕΝΩ.

Non abſque Theſeo.

EMBLEMA I.

Ad Diuum Rudolphum Secundum Cæſarem Romanum.

Sidera fulcit Atlas, humeros oneratus Olympo:
Hercule suppositu sidera fulcit Atlas.
Sic te suppositu Cæsar, velut Hercule, grande
Sustinet immensi nunc Pater orbis onus.
Affer opem fesso, diuine Rudolphe, parenti:
Mox humeros cœlo suppositurus Atlas.

Cura deûm reges.

EMBLEMA II.

Ad D. Ernestum Archiducem Austrium.

A Ioue sunt reges: Ioue nil sublimius alto:
Sponte sed hic ius dat regibus ipse suum:

Quos

DE CL. V. D. NICOLAO REVSNERO, IVRISCONSVLTO, ET POETA CAESAREO,

EPIGRAMMA

PETRI ALBINI NIVEmontij, Historici Saxonici, & Professoris Vitebergensis.

SEpridem Vrsino iactauit Slesia vate:
Nomine se iactat nunc Leorine tuo.
Omen inest: dedit ille vrsini carmina fœtus
Instar, & assiduo pollice finxit opus.
Tu celeres fundis versus; natura leonis
Vt celer est: quod te patria, & arma docent.
Quid maturius est Vrsino? quid Leorino
Naturale vides, & geniale magis?
Nulla subest cui vis, & nulla coactio: sed cui
Perspicuis verbis omnia lenè fluunt.
Cedite vos reliqui, quos ingeniosa poëtas
Slesia, quosq; viros protulit eximios.
Vatibus Vrsino, & Leorino applaudite ciues:
Omina quos iungunt, iungat & vnus honos.

IMAGO NICOLAI REVSNERI IVRISCONSVLTI.

TAlis eram, septem lustris sine labe peractis:
Quod superest, ævum tu rege, CHRISTE, meum.

IV. Non. Febr. M. D. XXC.
Aet. XXXV.

NICO-

Univ. Bibl. Wien

Quos regere imperio populos, & regna tenere
Mandat; & in terris munus obire ſuum.
Conſilijs animos ſapientibus inſtruit aptos:
Et virtute pares Dijs, & honore facit.
Semper & in medio conſiſtens agmine Diuûm;
Ius, æquumq́, bonum, iuſtitiamq́, docet.
Addit opes regnis validas, gazasq́, beatas:
Et maieſtatis dat decus omne ſuæ.
Fallor? an hinc reges magnos diuinus Homerus
Diſcipulos magni credidit eſſe Iouis.

Virtutis comes gloria.

EMBLEMA III.

Ad D. Maximilianum, Maximil. Cæs. F. Archiducem Austrium.

Quid tibi cum Musis, Alcide magne, togatis?
Græcia quando una vos colit æde potens.
An quòd prima duces Musarum cura potentes?
An Musæ quòd sint proxima cura ducum?
Sic est. nanque ducum cantant Musæ inclyta facta:
Retribuunt Musis præmia digna duces.
Crescit honos regum Phœbeo carmine: Phœbi
Regali rursus munere crescit honos.

Alterius

Alterius sic poscit opem res altera: felix
Publica res, in qua fulget vtrumque decus.

Consilio dux, miles exemplo.

EMBLEMA IV.

Ad D. Fridericum, Com. Palatinum, & Ducem Boiorum.

SIt dux consilio, sit dextra miles, & armis:
Principis excelsi qui velit esse loco.
Parua foris sunt arma: manus vis nulla potentis,
Consilium si non est, ratioq; domi.
Namq; labat mentis prudentia, viribus expers:
Mole sua vires ceu, sine mente, labant.
Quòd si mens non deficiat præstabile robur
Consultrix: nihil hac fortius esse potest.

Sphynx

Sphynx docet hoc, templi custos: quæ virginis ora,
Quæ pennas volucris, crura leonis habet.
Consilium virgo, robur leo signat: at ala
Magnanimum volucris fert super astra ducem.

Sceptrum regni, virtus amicorum.

EMBLEMA V.

Ad D. Adamum à Dietrichstain,

Lib. Baronem, & Palatij Cæsarei Præfectum supremum.



SCeptrum principis, & columna regni
Consultor bonus est, & integellus:

Et pru-

Et prudens animo, & peritus arte.
Qualem te merito tuo vocamus,
O cor Cæsaris, ô & os Adame.
Nimirum omnia cernit haud vir vnus:
Multis multa oculis videre regem,
Multis multa loqui subinde linguis,
Multis auribus vtier necesse est
Cordatorum hominum, atq; candidorum.
Sic princeps Agamemnon ille Graiûm
Aiaces sibi non decem, sed vnum
Optat Nestora: tunc breui potiri
Troia posse suos putat Pelasgos.
Sic rex Persidis inclytus Darius
Tot optat sibi Zopyros: quot essent
Mali granula Punici. nec illo
Contentus: sibi Zopyrum fatetur
Millies Babylone cariorem:
Et suis sibi cariorem ocellis.
O vocem lepidam, aureisq; regum
Ad palatia litteris notandam.

ΣΥΜΒΟΥΛΟΣ ΙΕΡΩΝ ΧΡΗΜΑ.

EMBLEMA VI.

Ad D. Sigismundum Vieheuserum, Cæs. Consiliarium, & Sacri Rom. Imperij Procancellarium.

Quæ fulgens titulis, & maiestate verenda,
In circo patrum pulcra corona sedet:
An non concilium repræsentare deorum
Cernitur, aut regum, semideûmq; ducum?
Censuit hoc olim Cyneas; viso q; Senatu,
Quot patres, reges Roma tot (inquit) habet.
Talis Alexandri quondam fuit ampla Seueri
Curia: quum Latij sceptra beata tulit:

Bissenos

DEVS PROVIDEBIT.

J. S.

Evasmvs Baro In Limpvrg.

Biſſenos conſultores, iurisq́; peritos
Conſilijs voluit ſemper adeſſe ſuis.
Et tu regis habes formam: cum Cæſare magno
Concilium quoties nunc Sigemunde colis:
Et tua te regno prudentia digna, fideſq́;
Acceptum ſuperis, Cæſaribusq́; facit.

Sol animi, virtus.

EMBLEMA VII.

Ad D. Philippum Edouardum Fuggerum, Com. Kirchbergæ, & VVeiſſehornæ.

Sol, oculus cæli, radijs illuminat orbem:
Et Phœbe noctem diſsicit alba nigram.

Sol animi virtus sensus illuminat ægros:
Et tenebras mentis discutit alma fides.
Si menti virtus, virtuti prævia lucet
Pura fides: nihil hoc clarius esse potest.
Aurea virtutis species, fideiq́, Philippe,
Præradians, cœlo sic tibi monstrat iter.
Scilicet hic vitæ Sol est, & Lucifer unus:
Hæc Phœbe, noctem quæ fugat igne suo.
Quæ dum mente vides arrecta lumina: mundi
Impauidus tenebras despicis, atq; metus.
Sol magno, Phœbeq́, micent, & Lucifer orbi:
Dum tibi sic virtus luceat, atq; fides.

ΦΤΑ

106

ΦΥΤΑ ΤΟ ΓΕΝΝΑΙΟΝ.

EMBLEMA IIX.

Ad D. Jacobum Fuggerum Com. Kirchbergæ, & VVeissehornæ.

COelum quando petit leui volatu
Ales regia, lucidas per auras:
Fixos lumine Solis haud ocellos
Flectit: sed radijs suis penetrat
Phœbum cominùs intuens serenum:
Et sic visum acuit suum, iuuatq́:
Quum visum volucrum fatiget idem
Sol splendens, hebetetq́ cæterarum.
Sic in te generosa mens refulget,
Claris orte parentibus, Iacobe:
Quando semine languet haud paterno

Virtus insita: sed magis magisq́;
In te viuida, & efficax viresçit:
Dum non à nitidis hebes reclinas
Maiorum radijs tuos ocellos:
Mentis celsiùs explicans sed alas,
Pulcro vertice tangis astra cœli.
Macte ô laude, Iacobe, macte tanta:
Felix es ter, & ampliùs: beati
Quem tot Dij cumulant bonis: perennis
Laus nullo tua conticescet æuo.

Ditat seruata fides.

EMBLEMA IX.

Ad Ioannem Cratonem à Craftheim,
Medicum, & Consiliarium Cæsareum.

Casta

CAsta Fides regnis potior, fulgentibus auro:
Perpetua gaudent numina sancta fide.
Sustinet hanc Honor: & Verum parit: omine fausto
Nutrit Amor: Fidij ceu simulacra docent:
Quem prisca coluêre deum pietate Quirites:
Inq; Quirinali constituêre iugo.
Rebus in aduersis opus est, pariterq; secundis
Seruata, felix si cupis esse, fide.
Consilium cui sancta fides dedit vtile; passim
Huic honor, & populi conciliatur amor.

Pax dulcis alumna consilij.

EMBLEMA X.

Ad Joannem Hegemullerum Consil. Cæs.

Pace

Pace frui donec licet, optatáq; quiete:
Consilijs sanis sit locus, atq; bonis.
Accipiat ne quid damni Respublica: belli
Si citò tempestas ingruat inde fera.
Tunc consultores prudentia sæpe relinquit:
Et cum fortuna mens, animusq; cadit.
Nempe quies hoc Iustitiæ vult filia sanctæ:
Quæ claues belli, consilijq; gerit:
(Pindarus vt cecinit vates) aperire Senatus
Apta forum: Martis claudere prompta fores.

I. C. P.

Quum multa, Pindare, dixeris pulcerrima:
Hoc pulcrius tamen est nihil:
Iustitiæ amabilis quies quòd nata sit.
Nam quid quiete iustius?
Sed additum quánam hoc fuit sententia?
Hanc omnium optimam deam,
Gerere senatus, atq; bellorum manu
Claues potente ferreas?
Nempe hoc ait: deliberationibus
Quietis danda tempora:
Vt turbulenti fortè si ingruant dies,
Consilia iam præcepta sint.
An verius? sensisse claues Pindarum
Quietis has, & ocij,
Senatum apertum, & consili facere fores,
Belliq; postes claudere.

Altera Caduceum, altera haſtam.

EMBLEMA XI.

Ad Pancratium Stibarum à Putenheim, Eq. Francum.

QVando Gephy infeſtat Marte Tanagra:
Armorum ſtudijs vrbs, opibusq; potens:
En Caduciferum mittunt, pacemq; rogantem:
Armata iuuenum pone ſequente manu.
Quò quis viribus eſt, armisq; potentior hoſtis,
Hoc magis armatas vult quoq; ferre preces:
Pacem orare manu: præfigere puppibus arma:
Cogere vi, precibus ſi locus eſſe nequit.

Imperat, iratus quoties rogat hostis: at hostem
Qui rogitat timidè, spontè negare docet.

Thyestæa cœna.

EMBLEMA XII.

Ad Hartmannum Hartmanni Eppingenum, Cons. Pal. Septemuir.



QVis nescit mensas diras, & prandia sæui
Tereos? aut cœnas, crude Thyesta, tuas?
Tres Atreus natos epulandos dat tibi frater:
Coniux huic natum pro dape mactat Itym.
Sic Asiæ quondam Selymus, Scythiæq; tyrannus,
Mactato natis gaudia fratre facit.

Sic

Sic Solimannus atrox, nati dum ſtrangulat ora
Alterius; reliquis prandia fœda parat.
O ſcelus, ô facinus crudeli morte piandum:
O epulum, Phœbi lumina clara fugans.
Ac onager catulum, riuali cœcus amore
Caſtrat: & abſumptis teſtibus ore, necat.

Paruis diues concordia rebus.

EMBLEMA XIII.

Ad Nicolaum Ciſnerum, Iuriſc. & Curiæ Imperialis Senatorem.

PAruas auget opes felix concordia: magnas
Ceu diſſipat diſcordia:

Qua non est grauior pestis, neq; fœdior vlla
In orbe, vel nocentior.
Si nec læua iuuat dextram, nec dextera læuam,
Se destruunt ambæ manus
Ipsas: omne perit decus, & vigor omnis, & omnis
Species honesti corporis.
Non vis regnorum, non diues copia rerum
Sic vspiam constat diu.
Cessat enim labor, & virtus, & gratia: cessat,
Concordiæ soror, Fides.
Publica res, priuata salus, ars denique cessat:
Quæcunq; sunt recta, & bona
Cuncta iacent: pereunt discordi cuncta duello:
Et mole sic ruunt sua.

Micro-

Psalm. 104.

Quam magnifica sunt opera tua Domine: omnia in sapientia fecisti.

Philippus Hailbrunner D.

Microcosmus homo.

EMBLEMA XIV.

Ad Georgium Tradelium Jurisc. & Consiliar. Reipub. Augustanæ.

PAruus quisq; sibi mundus, nam continet omne
Vnus homo, magno quicquid in orbe vides.
Mens cœlo, corpus terræ pare esse videtur:
Partibus his constat mundus vterq; suis.
Illa quidem ætherea est: hoc est terreſtre: sed ambo
Tandem ortus repetunt sponte soluta suos.
Lux, & vita comes mentis: sed mors, tenebræq;
Assecla perpetuus corporis esse solet.

Quid? quod mundus habet variis animalia formis
Magnus: at hæc paruus non minùs orbis habet:
Formicas, asinosq;, canesq;, ferosq; leones:
Et quot quot passim terra, vel æther alit:
Quos aut sedulitas iuuat, aut ignauia vitæ:
Aut morum feritas, ingluviesq; vorax.
Sola quidem probitas hominis decus omne tuetur:
Qui colit hanc, hominum dignus amore coli.

Ars victrix naturæ.

EMBLEMA XV.

Ad Matthæum Laymannum Jurecons. & Cons. Reip. Augustanæ.

Naturam

NAturam domat ars magistra. cernis,
Picto quod iuga delicata collo
Pardus sustinet: improbæq; tigres
Indulgent patientiam flagello:
Securiq; timent manum magistri.
Sic vrsus, leo sic domatur asper:
Quem tractasse manu sua virili
Primus dicitur Hanno Pœnus olim.
Sic ergo curantur arte docta
Tigris, pardalis, vrsus hîc, leoq;?
Et non arte potest homo magistra,
Humanus sit vt, effici, bonusq;?

Ratio

Ratio præsit: appetitus obtemperet.

EMBLEMA XVI.

Ad Franciscum Hotomannum Jurisconsultum.

SEssori si paret equus, si cymbula nautæ:
Fit compos voti rector vterq; sui.
Si præest ratio, morem gerit inde voluntas:
Copia virtutis iam tibi magna datur.
Sæpe sed imperium rationis cæca voluntas
Excutit: in dominum facta proterua suum:
Sessorem ceu victor equus, frenisq; repugnans
Deïcit; & nautam sæua procella maris.

O quan-

O quantum est animos regere, & frenare feroces:
Quodq; videt mens, & quod probat, omne sequi.
Quicquid agis, sit mens tibi dux, ratioq; magistra:
Nam sine mente bonum cernere nemo potest.

Cœlo Musa beat.

EMBLEMA XVII.

Ad Joannem Fichardum Jurisc. & Consil. Reipub. Francofortensis.

DVm tenet anguicomæ sopor altus membra Medusæ:
Callidus huic Perseus eripit ense caput.

Aliger hinc oritur de sanguine Pegasus: vnco
Bellerophontæas qui pede fodit aquas:
Quas Musæ, quas Phœbus amat, Pallasq; Minerua:
Et vatum releuat quîs sacra turba sitim.
Barbariem virtus dum conficit ense, Ficharde;
Tot fœtam vitijs, criminibusq; feram:
Fama fugax pennis generosis prodit in auras:
Continuò volitat clara per ora virûm:
Peruigil & Musas, Phœbumq;, sacramq; Mineruam
Concitat: & vatum carmina docta petit.
Quem Musæ, quem Phœbus amat, Pallasq; Minerua;
Quem celebrant vatum carmina, morte caret.

ΠΟΝΟΣ

24a
Vol.

ΠΟΝΟΣ ΕΥΚΛΕΙΑΣ ΠΑΤΗΡ.

EMBLEMA XIIX.

Ad Dauidem Peiferum Jurecoſ. & Conſil. Saxon. Septemuiralem.

FElicitatis mater eſt Induſtria:
Laborq; Gloriæ pater.
Si neſcis, hoc Amaltheæ cornu docet,
Plenum beata copia.
Cornu bouis, laborem ſignat aſperum.
Nam bos laborioſus eſt.
Lætam bonorum pollicentur copiam
Fructus, quibus cornu ſcatet.

Nimirum hoc olim victor abstulit Hercules,
Pomis repletum Naiadum,
Et floribus: magni laboris præmium:
Acheloium truncans caput.
Fortuna pro quo nunc hoc, & Genius bonus.
Vtrinq; cornu sustinent.
Qui sedulò laborant, his ambo fauent:
Cornuq; donant Copiæ.

Pulcritudo ciuitatis, Concordia.

EMBLEMA XIX.

Ad Matthæum VVesebeccium Jurisconsultum.

QVam spectas, est mater opum Concordia: templum
Camillus olim cui sacrauit splendidum.

Craterem

Craterem fert dextra manus, cornuq; sinistra,
Pomis, & odoro flore plenum, Copiæ.
Punica mala Deæ dependent vestibus: astat
Vtring; cornix, sacra auis Concordiæ.
Nimirum regni vis est Concordia sancta:
Et pulcritudo ciuitatis maxima:
Cui comes est pleno diues bona Copia cornu:
Et Pax, & alma Quies, Iustitiæ filia.
Bacchus adest, & flaua Ceres, & opima Voluptas;
Adsunt Opes, & Firmitas, & Sanitas.

Vnita virtus valet.

EMBLEMA XX.

Ad Joan. Georgium, & Guilielmum à Rotenhan, Eq. Francos.

SI frater cum fratre, via spatiatur in una:
Et lapis ante pedes inter vtrunq; iacet:
Circumeunt vnà lapidem, pro more Pelasgo:
Obliquantq; simul frater vterq; vias.
O quantum est animis concordes viuere fratres:
Quod vult vnus, vt hoc mox velit alter idem.
Nempe cauent: sensus offensio ne qua propinquos
Distrahat: aut temeret lis inimica fidem.
Si, velut ad lapidem, hic offendit: respuit ille
Offensam fratris, dissimulatq; sui.
Pro noxa, non noxa datur: sed gratia duplex:
Et veniæ suus est, officioq; locus.
Sic virtus vnita valet: fortunaq; fratrum
Incolumis, mens hîc dum manet vna, manet.
Sic, nisi seiunctos, triplici cum corpore fratres
Alcides nequijt vincere Geryonas.

Concor-

38a
3r

Concordia nutrit amorem.

EMBLEMA XXI.

Ad VVolffgangum Christophorum à Rotenhan, Eq. Francum.

SIt quamuis grandis, lapis integer innatat vndis
Tyrrhenus: fractus sidit, & ima petit.
Sic genus humanum concordia sustinet alma:
It pessum, lis si dissociare velit.
Lis odium generat: concordia nutrit amorem:
Ceu sociam vitem Palladis arbor alit.

ΑΞΕΝΟΣ

ΑΞΕΝΟΣ ΞΕΝΟΣ.

Hoſpes, vt hoſtis.

EMBLEMA XXII.

Ad Andream Duditium, Senatorem, & Oratorem Cæſareum.

THrëicius Muſas inuitat ſponte Pyreneus:
Parnaſi quando ſplendida templa petunt:
Fallaciq́s Deas vultu colit hoſpes, vt hoſtis:
Nam parat his damnum, vimq́s Tyrannus atrox.
Continuò ſumptis cœtus ſacer effugit alis:
Sublimis tectis hic cadit, atq́s perit.

Sæpe

Sæpe fugat doctas Martis vis improba Musas:
Semper habent tutum rursus in orbe locum.
Cur? quia sunt tutæ magnorum numine Diuûm:
Quos celebrant numeris, carmine, voce, chely.
O pereat, quisquis Musas furialiter odit:
Quiq; bonis non vult artibus esse locum.

Mensura sui optima.

EMBLEMA XXIII.

Ad Cyprianum Leouitium à Leonicia, Mathematicum.

ASpicis, vt durum, plenumq; labore viator
Carpat iter: nimium lassus vtroq; pede.
Cur? non robur abest, non vis in corpore magno:
Sed pede maior hic est calceus, ille minor.

Alter subuertit malè calceus; vrit eundem
Alter: vix benè iam, quò gradiatur, habet.
Metiri se quemq; suo modulo, ac pede verum est:
Mensuram fas est noscere quemq; suam.
Omnia quum dono tibi sint concessa deorum:
Si tua metiris pondera, ferre potes.
Quod satis est, si certus habes, nihil amplius opta:
Sorteq; contentus viue, valeq; tua.

Multa multùm legenda.

EMBLEMA XXIV.

Ad Joan. Thomam Freigium Jure-consultum.

Mercurij

MErcurij si quis subit antrum doctus amœnum:
Quo cuiusq; boni copia magna datur:
Pauperiem fugiens miseram, tristesq; labores;
Fert vtraq; manu commoda multa domum.
Musarum doctos qui versat sæpe libellos:
In quibus ars, virtus, ingeniumq; latet:
Fit sapiens, doctus, dives, bonus, atq; beatus:
Fit clarus fama, dignus honore senex.
Mercurius tot opes donat venientibus vltrò:
Haud vacuum quenquam passus abire foràs.
O miserum, quem non auctores cura legendi
Afficit: & qui non hæc bona sponte rapit.

Musarum, & Gratiarum copula.

EMBLEMA XXV.

Ad Hieronymum VVolfium V. C L.

MErcurium Baccho, Charites coniungere Musis,
Ars magna, magna virtus:
Ingenij laus experientis magna putatur.
Potes hoc vtrumq; VVolfi,
Mercurium socias Baccho: si quando lepores
Vino, salesq; misces:
Suauibus, & doctis oblectans pectora dictis
Sodalium bonorum.

Commi-

M. L. V. E. V. J
. B. H.

Ludwig von Schaumburg
Der Stifft Hildesheim Gepfleger
Zu Peina



Commiſces Muſis Charites: tot quando libellis,
Quos laudat omnis ætas,
Ingenij lenocinium, geniumq́, beatum
Aſpergis eruditis.
O os dulce viri: ſapiens ô pectus amici:
O copulam ſuauem.

ΟΥΡΩ Κ' ΕΙΡΕΣΙΗ.

Vento, ac remigio.

EMBLEMA XXVI.

Ad Theodorum Zuingerum Medicum, & Philoſ. CL.

Qvi Venerem concha tranquilla per æquora ducit
Piscis: & est ratium fidus vbiq; comes:
Pompilus ille sacer (dictus quoq; Nautilus idem;
Quòd secet æquoreas, more triremis, aquas)
Si mare compositum fuerit, pede labitur æquo:
Et, quò vult, velis, remigioq; venit.
Cauda dat huic clauum: remos dant brachia: vela,
Membranæ: quoties aura secunda fauet.
Quòd si tristis hyems, & non tractabile cœlum
Forsan adest: hausta se quoq; mergit aqua.
Mundus hic est magnum mare: sed maris incola tanti
Est Sophus: interpres & sacer ille deûm:
Qui quòd amans Sophiæ sanctæ diuinus habetur:
Sic Venerem concha per freta longa vehit.
Ipse simul ratium comes, & fabricator in alto:
Dum cœtus hominum temperat arte sua:
Moribus, & sanctis dum fundat legibus vrbes:
Ac, quo vita modo sit peragenda, docet.
Quàm benè conueniunt tibi symbola talia: nomen
Grande Sophi vita qui, Theodore, refers.
Dij faciant, vt remigio, ventisq; secundis,
Quicquid agis, dextro numine, semper agas.

O vita

O vita misero longa.

EMBLEMA XXVII.

Ad Hugonem Donellum Jurisconsultum.

O vita misero longa.

EMBLEMA XXVII.

Ad Hugonem Donellum Jurisconsultum.

HEu quantus dolor est, inuita viuere vita:
Velle mori semper, sed neq; posse mori.
Felici breuis illa quidem, sed longa misello
Pœna datur; si quis viuit in orbe diu.
Quid? miseram satis est tolerabile viuere vitam:
Si modò nos vitæ spes melioris habet.
Cui mortis pœnas non hîc mors altera finit,
Infelix. semper maxima pœna mori.
Sic inconsumptum Tityi, semperq; renascens,
Sæpius vt pereat, non perit omne iecur.

ΑΛΚΗ ΑΝΕΜΩΛΙΟΣ ΑΦΡΩΝ.

EMBLEMA XXIIX.

Ad Raymundum Pium Fichardum, Ioan. F. Iurisconsultum.

Melle soporatam dux Troius obijcit offam
Cerbereis portis, Elysiumq; subit.
Igniuomum sopit medicata fruge draconem,
Auratæ Iason vellere diues ouis.
Anguicomæ Perseus superator Gorgonis, aureo
Alipedem freno Palladis vrget equum.
Multum vis animi, sed plus sapientia præstat:
Quæ cum consilio cuncta, modoq; gerit.

Quem

Quem ratio, non ira mouet, Dijs proximus ille est:
Plus ratio, stulto robore, recta valet.
Mole sua, vis consilij sese obruit expers:
Cui pectus sapit, hic vtilis esse potest.
Sic tu, sic pater ille tuus, Raymunde, magistra
Consulitis patriæ dum ratione simul:
Magnum equidem præstatis opus. sapientia par est
Non vi velle magis, quàm ratione regi.

Manet immutabile fatum.

EMBLEMA XXIX.

Ad Paulum Melissum Schedium
Eq. & Com. Pal.

ET necis, & vitæ manet immutabile fatum:
Maximus in cœlo quod regit ipse Deus.
Scilicet hoc monet ista bilanx, è nubibus altis
Quam librat iusto pondere dextra Dei.
Quæ fiunt, fiunt fati sic lege perenni:
Cui duro clausæ stant adamante fores.
Subiacet huic rex, & grex, subiaceatq; necesse est:
Et ratio fatum vincere nulla potest.
Nam semper certum, & ineuitabile fatum est:
Et summis mutat, quum libet, ima Deus.
Seruis dat regnum, captiuis sæpe triumphum:
Atq; premit reges, attenuatq; duces.
Sic fatum nemo, fatuus nisi corde, Melisse
Spernat. nam quod vult, hoc facit omne Deus.

Deo,

40a

Deo, Reipub. amicis.

EMBLEMA XXX.

Ad Joannem Reymannum Jureconſ. & Cancellarium Epiſc. Vratiſlauienſis.

PRimùm DEO, REI deinde PVBLICAE,
Poſthæc AMICIS viue, dum viuis, tuis.
Nam vita mancipio datur nulli ſua:
Nec vita, ſed mors eſt, modò viuens ſibi.
Sic mellis haud generat ſibi fauos apis:
Sic vellerum fert haud ſibi fructus ouis:
Nec educat ſoli ſibi pullos auis.
Quod viuit, hoc homini; aſt homo viuit Deo:
Alter cui Deus manet Reſpublica:
Conſtans amicus velut homo eſt homini Deus.

De eodem Symbolo.

Vt viuas benè, viue Deo, patriæq́, & amicis
Vtilis: haud vera est viuere vita sibi.

Fidei coticula, crux.

EMBLEMA XXXI.

Ad Gualtherum Drechselium Jurecons. & Cancellarium Palatinum.

PAstinat haud semper, nec arat, nec conserit agrum:
Quem colit, & victum comparat vnde sibi.
Si maturuerint, fruges metit, horrea complet
Rusticus: & fructus condit vbiq; nouos.

Tribula

42.6

Tribula mox grana terens, baculóue, rotáue
Colligit: & panes pinsitat inde bonos.
Cultor agri, Deus est: ager est, Ecclesia: semen,
Sermo sacer: mystes semina condit humo.
Crux, & sors misera est felix tritura piorum:
Quos, ceu coticula, sic probat usq; Deus.
Frumentum, fidei constantia: panis, aluntur
Quo sancti, æterna est gloria, vita, salus.
Qui sapit, & panem vitæ desiderat almæ:
Se triturandum sponte dat hercle Deo.
Fert, quæ ferre iubet Deus, & fert pectore lætus:
Atq; sua constans in pietate manet.

De eodem.

Quod grano plostrum, quod ferro lima, quod auro
Fornax; hoc homini crux solet esse pio.

TH. B. VV.

Quod duro lima est ferro, messi; flagellum,
Auro quod ignis est rudi:
Hoc tibi, si sapias, crux est, licet aspera: quisquis
Cœlum Deo petis duce.

Mala bona.

EMBLEMA XXXII.

Ad Huldrichum Sizingerum Consiliarium Cæsareum.

Sanctorum status est duplex: crucis vnus; honoris
Alter: dolores hic dat, ille gaudia.
Gaudia fert nemo, nisi qui fert antè dolores.
Qui è nuce nucleum esse vult, frangit nucem:
Cortex quam geminus tegit: ex his vnus amarus,
Lacrymas ciet: durus sed alter, nucleum
Intus alit, dulcem satis, acceptumq; palato.
Sic cœlicæ sis particeps vt gloriæ:
Perfer, & obdura casus constanter in omnes:
Crux est piorum gloria, & victoria.

Semen

EMBLEMATVM LIBER

Sanctæ Ecclesiæ, sanguis primum. Gal.

EMBLEMA XXXIII.

Ad Parochi & Agricolæ Consuetudinem

Semen Ecclesiæ, sanguis piorum.

EMBLEMA XXXIII.

Ad Petrum Agricolam Consiliarium Palatinum.

Qvi tenet æternis Amaranthus nomen ab herbis:
Æternum capiti det decus, opto, meo.
Cur? flos pulcer, amœnus, odorus, amabilis: æstu
Languidus haud vllo Solis, & igne perit.
Decerpi manibus gaudet, rursumq; virescit:
Decerptusq; semel lætior inde redit.
Quòd si Phœbeo nimis aruit igne peruſtus:
Sparsus aqua vitæ redditur vsq; nouæ.

Si nescis,

Si nescis, monstrat flos hic, sit qualis in orbe
Cœtus, qui Christi numina magna colit.
Pressa malis quamuis Ecclesia sæpe laboret:
Lucet in ærumnis illius omne decus.
Mille pyr edeunt è gutta sanguinis vna:
Quæ de mactato martyre fusa cadit.
Quid quod vita datur sanctis cum morte peremptis?
Qui moritur Christo, viuit, & haud moritur.

Frater ne desere fratrem.

EMBLEMA XXXIV.

Ad Hauboldum Flættacherum Reipub. Ratispon. Camerarium.

Quis

Quis nescit geminos, concordia sidera, fratres?
Qui duo corporibus, mentibus vnus erant.
Castor eques, pollux q; pugil: de gente deorum
Ambo: pares annis: laudibus ambo pares.
At quum Lynceo traiectus pectora telo;
Mortifero Castor vulnere pressit humum:
Vltor adest pollux, & Lyncea perforat hasta:
Quamuis huic Idas auxiliator adest.
Supplicat inde Ioui lacrymans: pro fratre laborat
Castore: quem secum viuere posse rogat.
Quis putet? in cœlo cum Dijs sine fratre recusat
Viuere: dimidia parte superstes adhuc:
Dimidium cum fratre suo communicat æuum:
Incola nunc cœli, nunc cupit esse soli.
O amor, ô pietas. Nimirum dicitur in nos
Fabula: quos fratres hîc facit vna fides.
Quos, veluti Lynceus alter, dedit efferus hostis
Exitio: mendax nempe, vetusq; draco.
At tu, Christe, cui cœlum sublime patebat;
Frater amas dici noster, & esse pius.
Partiris vitam nobis, partiris Olympum
Largus: & alterna nos statione locas.
Nascendo moreris: moriendo viuis: & vltor
Sub pedibus calcas Tartara cæca tuis.
Salue, nate Deo, frater dulcissime salue:
Communem placa tu prece quæso patrem.

Vicit iter durum pietas.

EMBLEMA XXXV.

Ad Georgium VVirthium Med. Car. V. Imp. cog. suum.

CErnis, vt è scopulo, perculsus amore maritus
Coniugis, in vasti sponte profunda maris
Se iacit; obtestans piratas voce, manuq3;
Capitiuo liceat quo simul esse sibi.
Impetrat, & secum nuptam sic liberat: inde
Stipator meruit principis esse sui.
Scilicet è cœlo sic te iacis in mare mundi
Christe; latrocinij, supplicijq3 memor
Primæui: serues vt, libertateq3 dones
Sponsam; quæ sancta te colit vna fide:
Et mox cœlesti tecum regione locata;
Hærebit lateri pura, decensq3 tuo.

O nos

In solo christo gaudium aeternum

15 40

Christophorus à

O nos felices, ô terq; quaterq; beatos:
Quos tanto studio curat, amatq; Deus.

V. D. M. I. AE.

EMBLEMA XXXVI.

Ad D. Christophorum, Duc. VVirtebergicum, & Tecc.

PEr mare Christophorus fert Christum, robore nixus
Arboris: & fax huic præuia monstrat iter.
Per mundum, verbi cœlestis robore fretus,
Astra petit, Christum qui profitetur, homo.

Fons lucis, Christus: fax sunt, oracula sancta:
Indicium dubiæ, solicitæq; viæ.
Quam quia tu sequeris per mille pericula, Princeps
Inclyte: Christophori nomen, & omen habes,
Scilicet vt VERBVM DOMINI *manet omne per æuum:*
Sic nescit pietas, & tua fama mori.

Viue memor lethi.

EMBLEMA XXXVII.

Symbolum D. VVolfgangi Com. Palatini, & Duc. Boiorum.

Quid

50.6

EMBLEMATA MORALIA.

Quid prosunt opes, divitiæ, magni gradus,
Quid scientiæ, artes, aliud quid mortalium
Præmaturo tibi, cruditas dum festinat,
Sedulo ne, & exquisitius fiat?
Præpostere dum, præ ingenio, ardes
Post diem, ne quid, quam te, Sol, prius sit.

Christian Gottlieb Hylius.

EMBLEMA XXXIII.

Symbolum D. Friderici Ludovici, Com.
Stolbergi, Prof. P.

QVid, formose puer, sic mortis imagine gaudes?
Quid mortis facies, quid breuis hora notat?
Viue memor lethi: viues pius: hora suprema,
Semina nequitiæ languidiora facit.
Viue pius: moriere pius: viuesq; beatus
Post mortem: vitæ mors via sancta nouæ est.

Christus meum asylum.

EMBLEMA XXXIIX.

Symbolum D. Philippi Ludouici, Com. Palatini, VVolfg. F.



SEu morior, seu viuo, meum sit Christus asylum:
Fortunæ Christus portus, & aura meæ.
Ille meæ mentis spes, & fiducia sola:
Pendet ab hoc vno iam mea certa salus.

Anchora sit fidei signum, sub imagine Christi:
Sistere quæ tutum littore sola potest.

Deum time: Regem honora.

EMBLEMA XXXIX.

Symbolum D. Othonis Henrici Secundi,

Com. Palatini Rhenani.

ASTRA Deo nil maius habent: nil Cæsare terræ:
Sic Cæsar terras, vt Deus astra regit.
Cæsaris in populos tantùm, regumq́ꝫ: sed ipsos
Cœlitis in reges est Iouis imperium.
Nam regum rex est, posita est cui regia cœlo:
Possidet imperij Cæsar in orbe thronum.

Primus

Primus honor superis debetur: regibus alter,
Quos voluit diuûm nomen habere Deus.

I. M. I.

Omnia quæ latè tenet orbis, & arduus æther,
Vnus habet trino numine cuncta Deus.
Hic cœlum nato dedit, & corda addita cœlo:
Sed natis hominum terrea regna dedit.
Ergo potestati sanctæ parere necesse est:
Sunt sua Cæsaribus, sunt sua danda Deo.
Principibus debetur honor, censusque, timorque:
Cordis amor puri, vota, fidesque Deo.
Hæc duo quum mandant diuersos numina cultus:
Primus honor Christi, Cæsaris alter erit.

Fortitudo, & laus, & salus mea Dominus. Psal. 118.

EMBLEMA XL.

Symbolum Nicolai Reusneri Iurisconsulti.

Optima

Optima res, laudare Deum: laus cœlitus illa,
Et cum laude fides vera, salusq; datur.
Sit leo virtutis, frons laudis, cruxq; salutis
Sit nota: quis Iudæ dux Leo Christus ouat.
O par sit laudi tantæ vis, atq; facultas:
Me scio perpetua posse salute frui.

DE EODEM.

Quod te laudo, Deus: quod per te viuo redemptus:
Non opis humanæ, numinis omne tui est.
Tu mea laus, mea certa salus, mea magna potestas:
Quid reliquum? quod sum, sit, Deus, omne tuum.

NICO-

540

J. S. A. ✠ 8 S.

Soli DEO GLORIA.

Wolffgangus Henricus Freiherr Baro in Schwarzenau
Lehenbesitzer. scrib. Lauingæ die
21. July. A. 1689.

NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII, IC. ET P. C.

EMBLEMATVM LIBER SECVNDVS.

ΩΣ ΗΔΥ ΧΡΗΣΤΟΤΗΣ ΣΥΝΕΣΕΙ κεκραμμένη.

EMBLEMA I.

Ad D. Richardum Streinium Baronem Schuarzenauium, Conſ. Cæſaris.

QVò quis doctior eſt, hoc eſt humanior: & quò Indoctior, hoc moroſior.

Artibus ingenuis molleſcunt pectora: morum
Feritas fugit inſolentium.
Quid? ſine doctrina nihil eſt laudabile: nec vir
Magnus ſine hac quiſquam fuit.
Summum equidem heroëm, materni lactis, Achillem
Penuria, quondam ferunt
Sæpe leonina paſtum creuiſſe medulla:
Fidem rei nomen facit.
Ecqua leone fera eſt generoſior? ecqua medulla
Eſt oſsium, eſca dulcior?
Sic ad ſpem nemo virtutis creuerit altæ,
Sine pabulo hoc heroico.
Te, Streini, magnum facit ars, doctrinaq́, magna:
Et par huic humanitas.
O dulcem nexum tantæ virtutis, & artis:
O temperamentum bonum.

Equus

Johannes Christophorg Lemberin
Rennhartshofem.



Equus Sophocleus.

EMBLEMA II.

Ad Joannem Sturmium.

SIt licet annosus, longoq; infirmior æuo,
Assuetus circo vincere, fortis equus:
Ingentes animos haud ponit, laudes auarus:
Arrectisq; ferox auribus vsq; micat.
Sic vires animi nondum tibi tarda senectus
Debilitat: constat qui fuit antè vigor.
Dum vires vltra, Sturmi, sortemq; senectæ,
Magnanimus sequeris Musica castra Gigas.

Primus in his dux, & miles, nos ſponte ſequentes
Exemplo fortes ſic facis eſſe tuo.
Macte animi, diuine ſenex; longumq; per æuum
Viue: Sophoclei nomine dignus equi.

Gloria Crocodilus.

EMBLEMA III.

Ad Ioannem Sambucum, Caſaris Hiſtoricum.

TErribilis profugum ſequitur Crocodilus: & hoſtem
Aduerſum, tanquam territa dama, fugit.

Gloria sectantes odit, refugitq; : fugaces
Persequitur tacito clàm properata pede.
Ambitio pectus miserum leuis vrit : at altæ
Virtutis comes est gloria, laus, & honor.
Ponè sequens sic te beat ardua gloria cœlo:
Sambuce, Aoniæ fama, decusq; lyræ.
Et tuus ex merito te splendor, honosq; tuetur:
Gloria nec mendax te, titulusq; iuuat.
Laudari mauis animo, quàm voce : fauoris
Dum laudem veri, quà licet, vsq; petis.

TH. B. VV.

Niliacus qualis serpens fugientibus instat:
Instantes fugiens quanlibet ante ferox:
Sic vetus ille draco, sæuus mortalibus hostis,
Te reprimente fugit, te fugiente premit.

Victrix casta fides.

EMBLEMA IV.

Ad Dauidem Chytraum.

CAsta pudicitiæ defenstrix bellua: cornu
Vnum quæ media fronte, nigrumq; gerit:
Thesauros ornans regum, preciumq; rependens:
(Nam cornu præsens hoc leuat omne malum)
Fraude capi nulla, nulla valet arte virorum
Callida: nec gladios, nec fera tela pauet:
Solius in gremio requiescens sponte puellæ:
Fœminea capitur, victa sopore, manu.

Mens

Mens studiosa Dei, studiosa pudoris honesti:
Dum rectum vitæ carpere gaudet iter:
Nil curat fraudes hominum, nil verba malorum:
Nec timet hostiles debilitata metus:
Solius credit domini se sponte fauori:
Inq; deo requie vult meliore frui.
Felix, qui vitæ spem certam ponit in vno,
Mortuus, & viuus, tempus in omne Deo.

Casta placent superis.

EMBLEMA V.



Ad Abrahamum Mannam Anti-
stitem Lauinganum.

Porphy-

Porphyrio magnisic nomine dicta Gigantis:
Pulcra quidem specie, sed fluuialis auis:
Casta pudicitiæ vindex: si mœcha sit vxor,
Pectore mœsta dolet, præg; dolore perit.
Turpia quisquis amat furtiui gaudia lecti:
Et quæ non vni seruit amica viro:
Se negat esse hominem: peiorem scilicet, est quàm
Bellua mentis inops, quæ ratione caret.
Casta placent superis: & certo fœdere, lecti
Alterius metuens, & sine labe fides.
Talis Bellerophon es, talis nempe Iosephe:
Pro castis thalamis promptus vterq; mori.

Dij pro-

Psal 37

Melius est modicum iuste super
diuitias peccatorum multas.

Abrahamus Mamm
pastor Leiningensis
scribebat Maij Anno
1651.

Psal: 105.

Lætetur cor quærentium Dominum.

Mart: Rolandy Scri:
Zijpæ anno c. 81.
mense Aprili.

Dij prohibete nefas.

EMBLEMA VI.

Ad Martinum Rulandum Medicum.

FElle caret, viuitq; diu: ſitis, atq; laborum
Fert patiens tergo grande Camelus onus.
Filius haud matri, nec ſit ſua filia patri
Coniux: caſta fides obſtat, amorq; pius.
Si cogas, furit hic, fœdoq; repugnat amori:
Si non deſiſtas cogere: nullus eris.
Oedipe, tuq; Nero, quæ vos dementia cepit,
Polluit haud ſanctum ſi fera caſta torum?

ΠΙΣΤΟΝ ΑΠΙΣΤΟΙΣ ΟΥΔΕΝ.

EMBLEMA VII.

Ad Philippum Hailbrunnerum S. Theol. D.

SVpposítum cuculi fœtum Curruca canora
Educat, in fraudem, perniciemq; ſuam:
Creuerit hic, pullis genuinis prærípit eſcam:
Et matrem rabido deuorat ore ſuam.
Sancta Dei fouet innumeros Eccleſia fœtus:
Pro meritis cui non gratia digna datur.
Namq; poteſtatem nacti plerunq;: maligno
Dilacerant matrem corde, necantq; piam.
Omnia ſunt ingrata: nocet, feciſſe benignè:
Pro precio damnum, qui benefecit, habet.

ΓΕΝΟΙΟ,

6470

1 5 8 3

A. M. D. LV.

Soli Deo gloria

Georgius Wernotes à Latonstan
scribebat hæc Lauingæ Pictauorum

ΓΕΝΟΙΟ, ΟΙΟΣ ΕΣΣΙ.

EMBLEMA IIX.

Ad Laurentium Ludouicum Leorinum.

CAllida, & (vt perhibent) humanæ vocis hyæna
Aemula: compellat nomine quemq; suo:
Alternatq; vices Veneris: nunc fœmina, nunc mas:
Et tantum constans in leuitate sua est.
Qui leuis est, mentiq; suæ contraria dicit:
Et nunc esse bonus, nunc studet esse malus:
Alternatq; fidem: figens ius, atq; resigens
Protinus: hic niger est, hunc Ludouice fuge.

Qualis Cliniades olim fuit Attide terra:
Cui par haud Protheus mobilitate fuit:
Iam socius Spartæ, iam mauult fidus Athenis
Viuere: Vertumno natus & ipse malo.
Cum pietate, fide cum sancta ducere qui vult
Aeuum: sit constans, propositiq; tenax.
Magna quidem strepitus dementes respuit incus:
Sic mens scit quamuis vim generosa pati.
Degeneres animos leuis inconstantia semper
Arguit: at pietas firma, timore vacat.

Cedite

1766a.

EMBLEMATUM LIB. II. 67

EMBLEMA IX.

Ad Joannem Schneiderium Ju-
risconsultum.

Cedite fatis.

EMBLEMA IX.

Ad Joannem Schneideuinum Jurisconsultum.

Quadrupedum quum sit Leo rex, dominusq; ferarum:
Ad Galli cantum cur, strepitumq; fugit?
Telluri. Diuûm matri, sacer est leo: Marti
Gallus, qui Solis prouocat ore iubar.
Sic vim diuinam metuit terrena potestas:
Cui refragari fasq;, piumq; vetat.
Plus valet humano diuinum robore verbum:
Et ratio superos vincere nulla potest.

Sit quamuis ferus, & violentus, atroxq; tyrannus:
Ipse fugæ meminit sponte, nuente Deo.
Immensa est, nec habet finem diuina potestas:
Quicquid vbiq; vides, subiacet omne Deo.

Nil Christo triste recepto.

EMBLEMA X.

Ad Hieronymum Haunoldum Medicum.

PRædatur pullos, pedibusq; euiscerat vncis
Miluus edax: si quos deuius error agit.

Colligit,

Colligit, & fidis tegit hos gallina sub ālis:
Gloccitu matrem testificata piam.
Terribilis Sathanas sanctos affligit, & angit:
Et quacunq; potest arte nocere, nocet:
Protegis alarum quos, Christe, potente sub vmbra:
Et sæuo tutos solus ab hoste facis.

Omnia vincit amor.

EMBLEMA XI.

Ad Iustum Lipsium.

SAnctus amor sobolis: pietas & sancta parentum:
Fortes ex timidis reddere sæpe solet.

Quid

Quid magis est asino timidum? quid fortius igne?
Præsensit pullos si trepidare malo:
Per flammas asinus currit, penetratq; per ignes:
Quò seruet fœtus, eripiatq; suos.
Quid faciant homines, facit hoc si bestia, Lipsi,
Quos superis æquat mens, ratioq; Dijs?

Cæcus amor prolis.

EMBLEMA XII.

Ad Vitum Vuiggium Iurisconsultum.

SImia similos edit si fœta gemellos:
Protinus haud cura nutrit vtrunq; pari.

Ponè

I. S.
E. G. W. G. I. M.
82

H. A. V. R. 2. 5.

Ponè latus matris ſemper, quem negligit, hæret:
Quem fouet, hunc vlnis geſtat vbiq; ſuis:
Dumq; fouet gremio, nimium complexa premendo
Enecat: indigno fœtus amore perit.
Spretus at incolumis manet ille: diuq; ſuperſtes,
Fit demum matri carior inde ſuæ.
Cæcus amor prolis: nimium qui amat, odit iniquus:
Et ſecum celeri morte perire facit:
Dum nimis impatienter amans, vitium omne benignus
Approbat: & rectum, quod facit omne putat.
Blandus amor patrum, matrumq; domeſtica cura,
Corrumpit natos, quos genuêre, bonos.
Eſſe foris præſtat iuuenem: tolerare labores:
Viuere deliculum quàm ſine laude domi.

ΑΧΑΡΙΣ ΧΑΡΙΣ.

Odit amans nimium.

EMBLEMA XIII.

Ad Henricum Huſanum Iuriſconſultum.



DVm ſpectat pullum ſcrobe captum: raptus amore
Fertur ad hunc Elephas, ferre paratus opem:
Sic in præcipites foſſas, vrgente ruina
Voluitur: & perimit ſe, catulumq; ſuum.
Plus nocet immoderatus amor plerunq; parentum:
Quàm prodeſt: quando neſcit habere modum.
Quid cupiat, ſcit amans: ſed quid ſapiat, malè ſanus
Haud videt: & vitium ſic quoq; cæcus amat.

Sit

Sit mens, & ratio dux ſemper amoris honeſti:
Si non eſt ratio dux: furor, haud amor eſt.

Pro lege, & grege.

EMBLEMA XIV.

Ad Balthaſ. Gutelerum Medicum.

PArthenopes rex Alfonſus ſapiensq́, bonusq́,
Pinxit honorata te, Pelecane, manu:
Rimantem roſtro transfixum pectus acuto:
Sanguine ſic pullos viuificare tuos.
Pro grege ſic, pro lege mori fas eſt quoq́ regem:
Et populis vitam reddere morte ſua.

Morte sua vitam ceu Christus reddidit: atq;
Cum vita pacem, iustitiamq; pijs.

Pelecani Prosopopœia.

Pro grege, pro sancta fundet rex lege cruorem:
Sic vitam pullis sanguine reddo meo.

ΑΝΤΙΠΕΛΑΡΓΗΣΙΣ.

EMBLEMA XV.

Prosopopœia Ciconia.

EXul ego brumæ, tepidiq; Ciconia veris
Aduena: pasco senem grata, feroq; patrem.

Mirum,

G · H · M · P

alta mira

Manet

hiero nymus. Kolb. Zu Wismpf.
und Gerolzhofen.

den . 17 . Juny . Ao . 1606 . Ist mir zu
Nürnberg alß der Landschafft Commissarius ge-
wesen . geschrieben . Mein . 21 . eines

Cic. 1. Offic.
Hominis mens discendo alitur.

Pio Comodeo Juveni
Erasmo Stanico, hæc Jodocus
Dietrichs scribebat Lauingæ
Ao 15 83. die 16 Sept.

Mirum, si vinco, sancta pietate, capaces
Mortales mentis, cum ratione, sacræ.
Absalo persequitur patrem quòd Marte Dauidem:
Ludit & opprobrijs te, Noha sancte, Chamus.
Tullia quòd violat sanctum pietatis amorem:
Patria carpento vecta per ora ferox:
Sancta placet potiùs pietas Aeneia: patrem
Fert humeris, carum pondus, ab igne suis.
Sanctus amor fratrum Cleobes placet, atq; Bilonis:
Ambo trahunt matrem curribus, instar equûm.
Quid loquar Aetnæos fratres? magnumq; Cononem?
Quæq; suo pauit lacte Cimona patrem?
Et meritò pietas homini tutissima virtus:
Flamma vorax cui sic cedit, & vnda rapax.

Heu cadit in quenquam tantum scelus.

EMBLEMA XVI.

In Althæam.



DVm cineres, Meleagre, tuos ad busta sorores
Collacrymant: Syrias mox abeunt in aues.
Fratris adhuc nomen retinent: planguntq́, gemuntq́:
Matris & accusant voce querente nefas.
Mens vbi materna est? vbi sunt pia vota parentum?
Vitam, cui dederas, est scelus eripere.

ΧΡΗΣΙΣ ΠΛΟΥΤΟΥ ΜΑΡΤΥΣ.

EMBLEMA XVII.

Ad Valentinum Erythræum.

SVrripit oua salax perdix aliena: fouens q́
In nido, pullos educat inde nouos.
Pullus at eductus nutricem deserit vltrò:
Cantantis pendens matris ab ore suæ.
Condit auarus opes, defessq́ incubat auro:
Per fas, atq́ nefas condit auarus opes.
Vnde habeat, nihil is curat: sed oportet habere:
Et citò vult fieri diues, inopsq́ manet.
Nam mors aut vilem redigit communis ad assem:
Eripit aut partas turpe tribunal opes.
Magnis parta malis, pereunt maiore dolore:
Quod dat cuiq́ Deus, forsq́ benigna, sat est.

Voluptas

Voluptas esca malorum.

EMBLEMA XIIX.

In Epicurum.

CVr odio sus est, Elephas, tibi? sensus acutus
Quum mihi sit, cœni lædor odore graui.
Quorsus? vt ingenio certent, virtuteq; mecum:
Et rectè sapiant, & benè semper agant:
Sic homines escam doceo vitare malorum:
Qua pascis mentem, Sus Epicure, tuam.

Abstinuit

Abstinuit Venere, & baccho

EMBLEMA XX.

Abstinuit Venere, & Baccho.

EMBLEMA XX.

Ad Henricum Stephanum.

SAeua feroxq́z licet, posito Panthæra Lyæo
Ebria, captiuas dat sine lite manus.
Quem Mars haud vincit ferro: sine robore vincit
Compedibus Bacchus sæpe, Venusq́z suis.
Crine potens Simson, inuictus robore quondam,
Pellicis infamis victus amore perit.
Magnus Alexander, dux insuperabilis armis,
Occidit Herculeis haustibus ante diem.

Annibal à Latio ſuperatur milite Pœnus:
Aſſiduo luxu languidus, atq; mero.
Plus venus, & vinum, quàm vis, ferrumq; nocere
Sæpe ſolet: medium qui tenet, ille ſapit.

ΤΣ ΔΙΑ ΡΟΔΩΝ.

EMBLEMA XXI.

Ad Joannem Lauterbachium. P. L.

QVem mala fraus agit, & veri ignorantia cæcum:
Cui placet omne malum, diſplicet omne bonum:
Qui ſacra virtutis ſpernit præcepta: ſibiq;
Peccandi finem ponere neſcit homo:

Non

Non homo, ſed ſus eſt: cui limpida diſplicet vnda
Fontis: & ante pedes vnio pulcra iacens.
Quin & amaracinum fugit, vaguentumq́: roſasq́,
Calcat humi, cœno Sus, & amica luto.
Quem iuuat illuuies ſcelerum, fœtorq́, malorum:
Muſarum caueat pulcra roſeta ſequi.
Fœdus enim Muſis eſt cum virtute perenne:
Qui bona, quæſcit, agit ſedulus, ille placet.

Merces anguina.

EMBLEMA XXII.

Ad Matthæum Frobenium Leorinum.

FRigore confectum quem ruſticus inuenit, anguem
Imprudens fotum recreat ecce ſinu.

Immemor hic miserum lethali sauciat ictu:
Reddidit hic vitam; reddidit ille necem.
Si benefacta locas malè, simplex mente, bonusq;:
Non benefacta quidem, sed malefacta puta.
Ingratis seruire nefas, gratisq; nocere:
Quod benè sit gratis, hoc solet esse lucro.

Incerta pro certis amplecti stultum.

EMBLEMA XXIII.

In Captatorem.

QVam gerit, effigiem carnis cum spectat in vndis:
Et verè carnem, quod fuit vmbra, putat:
Captat, & incautus patulo canis appetit ore:
Sic se cum damno decipit ipse suo.

Ridicu-

Ridiculum: captando canes imitaris, auare:
Fas ergo sortem te quoq; ferre canum.

Ense recidendum.

EMBLEMA XXIV.

Ad Georgium Obrechtum Iurisconsultum.

COrniger è latebris serpentem protrahit atrum
Cervus: & enectum protinus ore vorat.
Tollere cæde malos, ferroq; domare nocentes;
Iudicis est virtus magna, ducisq; boni:
Qui finem statuit cupedinis, atq; timoris:
Et rectum paruo tramite monstrat iter.
Culpam pœna premit comes: immedicabile vulnus
Chirurgus ferro sanat, & igne, bonus.

Parcere si cupit huic; iam pars sincera trahetur:
Tristia supplicium crimina triste decet.
Crimen vbiq; frequens, si laudi noxia iuncta est:
Tunc virtus, & honos, resq;, salusq; perit.

Summum ius, summa crux.

EMBLEMA XXV.

Ad Simonem Ostermannum Jurisconsultum.

POnte super tenui transgressa capella capellam:
Obuia quando aliter cedere neutra potest:
Præterit, atq; viam sic inuenit arte: negatam
Natura: pontem circumit vnda rapax.

Multa

Multa suo multis præstat concedere iure:
Quàm frustrà lites velle, forumq; sequi.
Nam pro iure suo licet haud agere omnia cuiquam:
Lis litem, noxam noxa subinde parit.
Sic Alcibiades in litem ritè vocatus:
Clàm sese celat, iudiciumq; fugit.
Sis æquus, quantumq; potes, fora tristia vita:
Dimidium toto plus aliquando puta.

Boni pastoris est, tondere pecus, non deglubere.

EMBLEMA XXVI.

Ad Alexandrum Hunlinum iurisconsultum.

Captat

Captat aues auceps nido: sed matre relicta:
Qui tandem pullos sperat habere nouos.
Pastor oues tondet: quas si deglubere tentet:
Amplius haud lanam, lacq́, serumq́ dabunt.
Amputat arboreas frondes radice colonus
Illæsa: noua qui crescere ligna cupit.
Subiectos princeps bonus haud exugit iniquis
Censibus: incolumes qui studet esse suos.
Namq́ quod ex lacrymis oritur, nil fœdius auro:
Qui gentem ditat, rex quoq́ diues erit.
Certus apud populum census, possessio certa:
Si sit opus, largas semper habebit opes.
Certa ducum pestis, regnorum certa ruina:
Si fidos onerent magna tributa viros.
Splene velut tumido, tabescit corpus: iniquo
Sub duce, sic populi quæstus vbiq́ perit.

Cum

Psal. 110.

De torrente in via bibet:
propterea exaltabit caput.

Theod.

πάλιν τὸ διαιρέτης.

Ioannes Ortelius
Cyrenaicus.

Cum laruis luctari nefas.

EMBLEMA XXVII.

Ad Joannem Ortelium Cygnocomæum.

QVum mortalis homo sit: functos morte, nec ore
Lædere, nec scriptis, opprobriȝq; decet.
Mortalis Theseus, sortis memor, ossa suorum
Et lauat, & tumulo condit, humoq; tegit.
Debilis est animi, cum laruis belligerari:
Insultare bonis post sua fata viris.
Sic magni quondam superatum robore Achillis,
Quisq; petit telis Hectora lixa suis.
Sic catuli mordent extinctum cæde leonem:
Telaq; sic cæso quisq; cruentat apro.

Dij melius: benè nos meritis benè dicere fas est:
Grande nefas tumulos est violare sacros.

Firmamentum familiæ vxor.

EMBLEMA XXIIX.

Ad Gregorium Bersmannum Poëtam, & Philosophum.



CErnis, vt obliquo funem vir torqueat ocno:
Quo rabidam pascit turpis asella famem.
Sedulitas quorsum prodest, & cura mariti:
Prodiga si coniux est sine fruge domi?
Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri:
Hoc opus esto viri: coniugis istud opus.

Magnum

Magnum vectigal, vxorem viuere parcè:
Semper habet, semper quæ sibi deesse putat.
Seruat fida domum coniux, & censibus auget:
Paulatim magnas prodiga carpit opes:
Quodq́ magis miserum est, vrit sine torre maritum:
O pereat, gaudet lædere si qua virum.

Labor omnia vincit.

EMBLEMA. XXIX.

Ad Nicolaum Fritschnerum Leorinum.

QVæsiti formica tenax, patiensq́ laborum:
Exemplo frugi nos monet esse suo.
Paruula, vere nouo, flores apis ingerit alueo:
Compleat vt dulci sedula melle fauos.

Argutam texit sublimis aranea telam:
Et leue deserta sub trabe nectit opus.
Quid faciant homines? faciunt si talia vermes:
Qui piger est, nihili vir solet esse nimis.

Res amicos inuenit.

EMBLEMA XXX.

Ad Jacobum Cellarium Augustanum.

QVantum quisq; sua numorum possidet arca:
Tantum habet & fidei.
Magnus eris, si diues eris: dat census honores,
Census amicitias.
Ecquis enim sterilem non aspernatur amicum,
Qui sit egens, & inops?

Magna-

X 9.6a

Quem penes est virtus, omnia divos habet.

Jacobus Cellarius
Augustanus.

Magnarum possessor opum, benè notus amicos
Posidet innumeros:
Indelibatas, cui dum fortuna secunda est,
Quisq; tuetur opes:
Sin mala; iam solus fuerit, comitum agmine multo
Qui modò cinctus erat.
Sic raræ veniunt ad sordida tecta columbæ:
Agmina granifera,
Horrea sic nunquam formicæ ad inania tendunt.
Vtilitate probat
Vulgus amicitias. vbi opes, hîc cernis amicos:
Pauper vbiq; iacet.

Simplicitas veri sana.

EMBLEMA XXXI.

Ad P. Melissum Schedium P.L.

ALbo candidius quid est olore,
Argento, niue, lilio, liguſtro?
Fides candida, candidiq; mores,
Et mens candida candidi ſodalis.
Te Schedi niueam fidem Meliſſe,
Moratum benè, candidamq; mentem
Poſsidere ſodalis integelli:
Liguſtro niueo nitentiorem:
Argento niueo beatiorem:
Albis liliolis fragrantiorem:
Cygnis candidulis decentiorem:
Armorum niueus docet tuorum
Cygnus: liliolis decorus albis:
Phœbea redimitus ora lauro.
Albo candidior cygnus liguſtro:
Argento precioſior beato:
Cui nec par eboris decus, nec auri,
Nec gemmæ valor est, nitorq; pulcræ:
Et ſi pulcrius est in orbe quicquam.

Alter-

Durum Patientia
frango

Hæc scribebat mi
uera amicitiæ amicula
Honestoviro Erhardo
Stangio Illustrissimo
Principi ac D. D. Philippo
Ludwico Palatino à Literis
Christophorus Vogelius
Reverendissimi Pastor 3 Nouē
Anno 1600

Alternis facilis labor.

EMBLEMA XXXII.

Ad Valentinum Forsterum Iurisconſ.

ALcedo, medio brumæ cum frigore natas
Credit aues pelago, nidificatq; vago.
Tunc freta nec ventis agitantur ſtrata, nec vndis:
Bis ſeptem, volucris dum fouet oua, dies.
Sirius exortus facit Alcedonia Muſis:
Iuſtitio triſti nunc fora clauſa manent.
Fœtificant bruma volucres. æſtate licebit
Carmina nos miſſo fingere blanda foro.
Manè ſub auroram, quum ſpirat Eteſia flabra
Eurus: & alma gerit ſpicea ſerta Ceres:

Fas

Fas haud mersari nos iam ciuilibus vndis:
Aethereis virgo donec aditur equis.

Ingenium si intenderis, valet.

EMBLEMA XXXIII.

Ad Nicolaum Vigelium Iurisconsultum.

FIt melior, fit limpidior fons sæpiùs haustus:
Purgatus dulces eiaculatur aquas.
Aera nitent vsu: splendescunt cote metalla:
Ceu splendet crebra vomer adactus humo.
Sic labor ingenium, mentem sic excolit vsus:
Sic mores studio conuenienter eunt.
Tetra sed ingenium corrumpunt ocia doctum:
Ceu capiunt vitium, ni moueantur, aquæ.

Ceu

Ceu positum lædit rubigo scabra metallum:
Corruptusq; perit vomer inerte situ.
Qui sapit, exercet studium, perceperit artem
Quamlibet: ingenium cura, laborq; iuuat.

Cura sapientia crescit.

EMBLEMA XXXIV.

Ad Christophorum Schillingum Francostenium.

SIue volat, Palamedis auis, grus, siue quiescit:
Arreptum lapidem gestat vbiq; pede:

Peruigilis signum curæ, mentisq; sagacis:
Cessantem in vitium ne malus error agat.
Odi homines ignaua opera, vigilanteq; lingua:
Stat vigili virtus firma labore diu.
Scilicet ars vsu, cura sapientia crescit:
Materiem vitijs dat diuturna quies.
Qui felix, & qui prudens vult esse, laboret:
Commoda Dij vendunt cuncta labore graui.
Sic & Aristoteles fertur plerunq; lapillum
Peruigil in somnis sustinuisse manu.
Segnitiem fugiat, studij qui flagrat amore:
Ignauas odit sors q;, Deus q; preces.

Aliud.

Somno Stagirites vacaret ne nimis:
Ad lectulum peluim locabat æream:
Manuq; sustinens lapillum dextera,
Mox decidentis excitabatur sono.
Quicunq; discendi flagrat cupidine,
Sopore solui non sinat se languido.

ΤΕΝΙΩΝ

Wann du die sitten vnd das
leben meines gemahels betrachtest,
So straff ainer des andern handel
vnd füge niemandt vrsach sünd zu sein.
Amandre 90.

15

Wolff Töger hat dis seinem getrauten
gutten freündt als brüdern Ehrbarten Staug
zu gutem angedenken gemacht.
Actum Leibnitz an der Thonau den
17 Maij anno ut supra.

ΞΕΝΙΩΝ ΔΕ ΤΕ ΘΥΜΟΣ ΑΡΙΣΤΟΣ.

EMBLEMA XXXV.

Ad Henricum Paxmannum Medicum.

QVis putet? è puro Gryps nidum conſtruit auro:
Occupat & celſæ rupis in arce locum:
Solus aues vincit cunctas qui naribus vncis:
Quem leo, quem tigris, quem pauet acer eques.
Cuius vt è nido ſub rupem decidit aurum:
Accola finitimi quod legit Indus agri:
Sic quos heroas mundi, rerumq́ potentes,
Sublimi magnus vult Deus eſſe loco:

Imperij tueantur opes, ceu munera Diuûm:
Participes alios vt simul esse velint:
Præsertim sanctæ pietatis, & artis alumnos
Ingenuæ: per quos regna, domusq́, vigent.
Diuitis hæc auri virtus est vna: benigna,
Qui prosunt alÿs, mente iuuare bonos.

Vnica semper auis.

EMBLEMA XXXVI.

Ad Christophorum Herdesianum Iurisconsultum.

Quæ thuris lacrymis, & succo viuit amomi:
Fert cunas Phœnix, busta paterna, suas.

Vnica

Amicus est desiderabile nomen,
homo nix apparens, infelici-
talis refugium, nix inuendē
da possessio, secretorum receptor,
indeficiens quies, amanda fe
licitas.

Michael Fendius
Lauingæ A. 1558.

Vnica semper auis: pater, & sibi filius ipsa:
Morte sua vitam dat sibi sola nouam.
Nam quoties super orbe decem iam secula vixit:
Supremi moriens nascitur igne rogi.
Sic Christus vitam sibi reddit morte, suisq;
Christicolis: sibi quos iungit amore pari.
Verus homo, verus Deus vnus, & arbiter æui:
Lumine qui lustrat, numine cuncta fouet.
Felix, qui Christo per sancta lauacra renatus:
Amne sacro vitam dum rapit, amne capit.

TH. B. VV.

Phœnicem (si vera ferunt) mors ipsa refingit:
Huic sit vt vnus aui vitaq;, morsq; rogus.
Ite ô carnifices: sanctorum sancta cremate
Corpora: quos vultis perdere flamma parit.

Fide, sed cui, vide.

EMBLEMA XXXVII.

Ad Georgium Frobenium Jurisconsultum.



SVb tectis hominis, prænuncia veris, hirundo
Nidificans: homini non habet vsq; fidem.
Par vitium cunctis, & nulli credere velle:
Sed medium sapiens inter vtrunq; tenet.
Fide, sed ante vide, cui tutò fidere possis:
Et quia non tutum est fidere, fide Deo.

Renoua-

Renouata iuuentus.

EMBLEMA XXXIIX.

Ad Philippum, Ioach. F. Camerarium Iurisconsultum.

ALituûm regina potens, & fulminis expers:
Sola aquila est summi fida ministra Iouis.
Quæ si longæua nimium sit tarda senecta:
Flumine se liquido terq; quaterq; lauat:
Subuolat hinc, Solisq; capit de lumine lumen:
Et renouat pennas, membraq; fessa sibi.
Qui pius est, sacro lustratus fonte salutis:
Fulmineo nunquam læditur igne Iouis.

Namq;

Namq; fide certa numen cœleſte tuetur:
Sollicitatq; ſuo lumine lumen heri.
Sol eſt iuſtitiæ Chriſtus, vitæq; perennis:
Quem qui corde videt ſimplice, ſaluus erit.

Poëtice germana Oratoriæ.

EMBLEMA XXXIX.

Ad Nicolaum Rudigerum Piſouernatem.

QVis neſcit geminas quondam, Pandione natas,
Germanas, in aues auolitaſſe vagas?
Aedes vna ſubit Progne: petit altera ſiluas
Triſtis, & indignum flet Philomela nefas.

Sic ge-

Sic geminas artes nemo negat esse sorores:
Quas bonus orator, quásve Poëta colit.
Scilicet ars vatum siluas, lucosq́ frequentat:
Cum Musis quos Dij sponte, Deæq́ colunt.
Eloquij virtus est vrbis alumna, foriq́:
Pacis fida comes semper, amica togæ.
Quid restat? quantum Philomelæ cedit hirundo:
Tantum vox vatum plus valet eloquio.

Sat citò, si sat benè.

EMBLEMA XL.

Ad Christianum Egenolphum P. L.

PArturit ingentem prolem bos Luca: per annos
Fœta decem: parit hinc nobile dentis ebur:
Clarius argento niueo, canoq; liguſtro:
Quod dat fulcra toris, & ſimulacrā Ioui.
Poſt hyemem nonam, nonam poſt denicq; meſſem
Quæ ſunt cœpta, diem ſcripta videre placet.
Sic tutum eſt: quando neſcit vox miſſa reuerti:
Corrigit, haud fædat multa litura librum.
Sic lambit catulos informes vrſa: ſuaq;
Pullos, viuificat ſic leo voce nouos.
Cum Ioue Mnemoſyne noctes cubat vſq; nouenas,
Muſarum ſobolem ſic paritura nouem.
Quod citò fit, perit hoc citò: nixa repentè catellos
Dum properat, cæcos ſic parit hercle canis.

NICO-

1040
X

NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII, IC. ET P. C.

EMBLEMATVM LIBER TERTIVS.

Aetas aurea.

EMBLEMA I.

Ad D. Hermannum Comitem à noua Aquila.

AVrea Saturno quondam sub rege fuerunt
Secula: ceu vatum Musa recensẽt anus.
Cur? virtus, probitas, æquum, rectumq́, bonumq́,
Et ius, & pietas floruit, atq; fides.
Per se quando cibos tellus inarata creauit:
Et mel, & nectar, lacq́, merumq́ dedit.
Pax fuit, haud bellum: nec hyems, sed perpetuum ver:
Nullus vbiq; labor: nullus vbiq; timor.
Ferrea nunc ætas agitur, dominata tyrannis:
Sic fera, sic verè ferrea turba sumus:
Quando nocens ferrum, ferroq́ nocentius aurum
Prodijt: & secum ferrea bella tulit.
Iam virtus, probitas, æquum, rectumq́, bonumq́,
Et ius, & pietas exulat, atq; fides.
Iamq́ cibos vix, ac ne vix dat terra coacta:
Fellis amaritie plena redundat humus.
Iam pro vere gelu longum, pro pace duellum:
Magnus vbiq; labor: magnus vbiq; timor.

Aetas

1811a
X

Aetas argentea.

EMBLEMA II.

Ad Bartholomæum Vuelserum Patr. Augustanum.

SVb Ioue pigra quies, in durum versa laborem:
Materiam morbis sæpe, malisq́, dedit.
Tunc homines cœpêre domos, & tecta subire:
Scissa dedit fructus vomere terra suos.
Tunc fulmen cœpit regale, & fulmine digna:
Tunc breuior subitæ mortis aperta via est.
Sic ruit in peius mortalis vita: sed omni
Qui se fortunæ præparat, ille sapit.

Vinum, sanguis terræ.

EMBLEMA III.

Ad Theodorum Zuingerum Medicum, & Philosophum.

CONtemptrix superûm, monstrosa propago Gigantum:
Ausa Iouis quondam Marte subire domum:
Fulmineo turbata cadit Iouis igne: sed albas
Protinus in vites ossa sepulta migrant.
Fit vinum, sanguis: terræ bibit ergo cruorem:
Qui bibit immodicum, te duce Bacche, merum:
Sanguineas bibit cædes, & bella cruenta:
Et lites notas, exitumq; suum.

Hinc

Hinc Pharios legimus reges, nec vina bibisse:
Nec Dijs, quum facerent sacra, litasse suis.
Sic & Alexandrum, de sanguine nata Gigantum,
Androcydes Magnum ponere vina monet:
Quòd, velut est homini lethale cicuta venenum:
Sic nimio moritur pota cicuta mero.

Hâc virtutis iter.

EMBLEMA IV.

Ad Vitum Ortelium Vinshemium Medicum.

Aequora

AEquora dum mulces posito Neptune tridente:
Lataq; dum Triton littora voce replet:
Iam venti ponunt: iam cessant nubila cœlo:
Inq; suos redeunt flumina magna sinus.
Surgit humus: crescunt loca, decrescentibus vndis:
Moxq; solum profert gramina, silua comas.
Solus cum sola superest homo coniuge Pyrrha
Deucalion: hominum factor in orbe nouus:
Parnassi quos arx vmbrosi celsa tuetur:
Dum scelerum pœnas cætera turba luit.
Musarum iuga summa petat sic crimine liber:
Cui virtus, & laus, & bona fama placet.

Mille

Mille hominum ſpecies.

EMBLEMA V.

Ad Petrum Albinum Niuemontium.

DVm genus humanum reparat cum coniuge Pyrrha
Deucalion: ſortes poſcit, aditq; Themin.
Illa caput velare monet: tunicisq; recinctis
Frigida poſt tergum mittere ſaxa manu.
Paruamora eſt: vtriuſq; volant poſt terga parentis:
Paulatimq; anima mollia ſaxa calent.
Nam maribus nudas oſtendit Pyrrha puellas:
Quos format iactu vir, reparatq; ſuo.

Inde genus durum sumus, experiensq́, laborum:
Felix, naturam qui superare potest.

Sperne voluptates.

EMBLEMA VI.

Ad Joan. Schosserum Æmylianum.

DVm mouet iniustum Phineus in Persea bellum:
Multaq́, fert hostis vulnera, multa facit:
Gorgone cum socijs visa stupet illicò: tandem
Sic lapis immotus fit, rigiduq́, silex.
Palladis armatus clypeo, cui nobilis heros
Mercurij Perseus amputat ense caput.

Si nescis,

In Deo Mea Consolatio

I. S.

Ludovicus Andreas Lämblin



1597.

I. H. S. G. A.

Anno etc. Von Blanckhz, Schreib der
Steuern gütten, Bekantt, Thun, Chur-
stanz, Zum Vndertruck Zu Nürnberg,
Am Sand Thomas tag 14. Decembris, Anno etc. 97.

Si nescis, hæc est Gorgo damnosa voluptas:
Illecebris nimium blanda, potensq; suis.
Qui sapit, auertit vultus hinc sponte modestos:
Si videt hanc stultus, ceu lapis, inde riget.
Quem Mars non æstu vincit, ferroq;: voluptas
Inuictum vincit sæpe maligna virum.

Vitæ sapientia custos.

EMBLEMA VII.

Ad Reinerium Solenandrum Medicum.

STratus humi Python Pbœbi iacet ecce sagittis:
Terribilis serpens corpore, & ore minax.

Qui modò peſtifero preſſit tot iugera ventre
Iam cinis, & puluis, iam nihil eſſe poteſt.
Pythia iam celebret ſecuro Græcia corde:
Laurea victoris cingat honora caput.
Prima docens rectum, cuſtos ſapientia vitæ eſt:
Cum vitijs, morbos pellit, & omne malum.

Vigilandum medico.

EMBLEMA IIX.

Ad Joannem Hermannum Medicum.

CVr tibi trux anguis ſacer eſt, Aſclepie magne?
An quòd fert medicam ſæpiùs anguis opem?

An quòd

An quòd & insomnis velut est, & peruigil anguis,
Peruigiles medicos sic decet esse bonos?
Sic puto: sic te Roma colit, sub imagine tali:
A sæua per te libera facta lue.
Insula templa videt circumflua Tybridis alti:
Iuppiter hîc magnus proxima fana tenet.

Ne quid nimis.

EMBLEMA IX.

In Criticum.

Lernæam, turba capitum centuplice quondam
Terribilem, creuisse ferunt per damna subinde:
Et geminas vires reparasse, impunè recisam,
Quam tandem Alcides ferro, & face contudit, hydram.

Fœcundum omne malum est: fœcundo vulnere semper
Fertile. si fibras omnes resecare malorum;
Si nævos omnes, si vis errata notare
Cuncta malus: caput excetræ fortasse secabis:
Progʒ vno vitio, vitium lucrabere duplex
Crudelis nimium exactor, censorgʒ severus:
Qui rectum esse putat, vitijs ignoscere nullis.
Vnicuigʒ dedit vitium natura creato.

Quisque suos patimur manes.

EMBLEMA X.

Ad Hieronymum Arconatum Leorinum.

Nocte

Nocte satæ Stygia, furiæ tres: dira Megæra,
Tristis & Alecto, Tisiphoneq́; furens:
Sunt speculatrices scelerum, vltricesq́; malorum:
Quod suadent, mulctant protinus omne nefas:
Inspirantq́; graues animos, rabiemq́; metumq́;:
Menti, non membris vulnera dira ferunt.
Scilicet hæ colubræ sunt, hæc flagella, facesq́;:
Mens hominis requie quum nequit ægra frui.

Tria animi monstra.

EMBLEMA XI.

Ad Christophorum Reusnerum FR. Germanum.

Quæ

QVæ Strophades habitant Harpyiæ: triſtis Aello,
Ocypeteq́ ferox animis, & dira Celæno:
Sunt auidæ volucres: fraudantes Phineа menſis
Appoſitis olim: contactuq́ omnia turpi
Fœdantes: & non tantùm ædibus eÿcientes.
Quem redimunt tandem iuuenes, Aquilone creati,
Præſtantes animis, Calais, Zetheſq́ ſuperbis:
Aurea cum Minyis dum vellera, Phaſis ad vndas,
Per marè non notum, prima petîere carina.
O quàm difficilis res eſt, & plena pericli,
Inuida mens, & auara, ſuperbaq́: monſtra domantur
Quæ ſi non virtute animi, probitateq́ vitæ:
Cum fama, res atq́ fides mox interit omnis.

Macerat

1.18a

Macerat inuidia.

EMBLEMA XII.

Ad Christophorum Vuolfium Annæmontium.

POlypus exstimulante fame sua brachia rodit:
Sub brumam præda deficiente sua.
Inuidus alterius rebus macrescit opimis:
Et telis sese conficit ipse suis.
Ferrugo rodit ferrum, lignumq; teredo:
Et tineæ damno vestibus esse solent.
Liuor edax videt ingratos; carpitq; videndo
Successus hominum: carpitur ipse simul.

Si nescis, hæc est Matreæ bellua turpis:
Quæ seipsam comedit, supplicium q; suum est.
O pereat, quisquis præstantibus inuidet ausis:
Vtq; latens ima vipera serpat humo.

Liuor, iners vitium.

EMBLEMA XIII.

Ad Nathanem Chytræum P. L.

DVm lymphas turbat Latonæ rustica turba:
Et vetat exiguo rore leuare sitim:
Indignata Dea est meritò: potumq; vetantes
Ruricolas, ranas protinus esse iubet.

Colla

12.Da.
X

Colla tument: albet venter: vox rauca coaxat:
Terga caput tangunt lubrica: ſpina viret:
Liuor, iners vitium, mores non exit in altos:
Et ſtolidos animos, degeneresq; notat.

ΑΓΑΜΟΣ ΓΑΜΟΣ.

EMBLEMA XIV.

In Prognen.

QVid, Progne, credis Germanam ſtulta Tyranno?
Sic committis ouem credula nempe lupo.
Sic te, Germanamq; tuam malè prouida perdis:
Atq; tuo cumulas crimine crimen heri:

Quum luges non sic lugendæ fata sororis:
Et mactas natum, dilaniasq; tuum.
Cum truce difficile est vxorem habitare tyranno:
Quem cruor, & cædes, bellaq; sola iuuant.
Plus valeat pietas in amore, fidesq; iugali:
Quàm quæstus, & opum pernicios⁹us amor.

Mala causa silenda.

EMBLEMA XV.

Ad Joan. Fridericum HainZelium Patr. Augustanum.

DVm cultus superûm spernunt, festumq; profanant:
Et leuibus fallunt tempus, opusq; iocis:

Protinus

122. b.

Protinus in volucres abeunt Mineides has; quæ
A sero verum vespere nomen habent.
Iamq; petunt tenebras, & Solis numina vitant:
Tecta frequentantes fumida, nocte volant.
Mordere os hominem, quàm turpia dicere, præstat:
Luce sacra solùm mens vacet, osq; Deo.

Ama quod fœmina debes.

EMBLEMA XVI.

Ad Martinum Zeidlerum Jurisconſ.

SVpposuit lasciua femur quòd turpe parenti
Nyctimene, lucem, noctua facta, fugit.
Conscia sic culpæ, celat miseranda pudorem:
Et latet in tenebris, fletq;, gemitq; nigris:

Quam fugiunt & aues, & pellunt æthere toto:
Nec reperit tutum pulsa repulsa locum.
Imperat heu quoties menti furiosa libido
Fœmineæ: rectum nescit habere modum.
Quæ semel amissi rupit si frena pudoris:
Mente furens cæca perpetrat omne nefas.
Quod licet, ingratum est: quod non licet, acriùs urit:
Semina nequitiæ frangere nemo potest.

Credula res amor est.

EMBLEMA XVII.



Ad Quirinum Austriacum Teublicium.

Prima

PRima Venus iuueni Pagasæo donat Iynga:
Colchidos hac primus conciliatur amor.
Credula res amor est: blandumq; libido venenum:
Quò lubet, hæc homines noxia torquet Iynx.
Si quis amat, quod amare nefas est, turpiter ardet:
Mens perit huic, simul huic resq;, fidesq; perit.
Si sapis, illecebras fuge turpis amoris: iynge
Tam fœda decet haud cor iuuenile trahi.

Aliud.

Iynx amoris, & voluptatis nota est:
Quæsita philtris: fortè quòd quóuis agat
Antè, & retrorsus colla in orbem liberè.
Sic & voluptas corda agit mortalium:
Mirumq; torquet in modum, quoquò lubet.

Fides

Fides Deo sacrificium maximum.

EMBLEMA XIIX.

Ad Jeremiam Reusnerum Germanum.

DVm iaculo Atrides transfigit in Aulide ceruam
Ignarus: nimium læsa Diana furit.
Indignata mari ventos immittit, & vndis:
Sæuit hyems: pestis sæua moratur iter.
Sanguine virgineo placandam virginis iram
Consultus Calchas protinus esse monet.
Stat virgo castum iam profusura cruorem,
(Quis putet?) ante aras Iphigenia sacras:

Victa

Victa Dea est. nam supposita, pro virgine, cerua,
Sacra probans: sacris præficit inde suis.
Non fibræ pecudum, non placant exta Tonantem:
Sed, quæ sit simplex, & sine labe, fides.

Vltorem vlciscitur vltor.

EMBLEMA XIX.

Ad Andream Jociscum Thallorium.

CONtemptor ferri, nulloq; forabilis ictu:
Cum forti confert Cygnus Achille ma-
Vulnus erat nullum: sanguisq; in corpor-
Quamuis immiti cæsus ab hoste fo-

Paruamora est: victor curru fremebundus ab alto
Desilit: & Cygnum cominùs ense petit:
Cedentemq; sequens instat, turbatq;, ruitq;:
Faucibus elisis eripit inde animam.
Contulit in volucrem corpus Deus æquoris album:
Mortuus, & viuus nomen oloris habet.

Seipsum vincere, maxima victoria.

EMBLEMA XX.

Ad Albertum Stibarum, Eq. Francum.

...inuictus victor, Telamonius Aiax:
...victoriæ, igneq;, louemq;

Quiq;

Quiq; tot egregios heroas vicit, & armis
Perdomuit toties: vna nunc vincitur ira:
Inuictumq; virum vincit dolor, atq; cupido.
Sic nemo Aiacem potuit superare, nisi Aiax:
Dum nimis impatiens, grauioris morte, repulsæ:
Lethiferum condit sua per præcordia ferrum.
O quantum decus est, se vincere posse per iram:
Maxima, si nescis, victoria vincere seipsum est.

Musicæ, & Poëticæ vis.

EMBLEMA XXI.

Ad Dauidem Nephelithum Mathematicum.

TErribiles Orpheus tigres, rabidosq; leones,
Et volucres cantu lenijt, atq; feras.
Saxa sono blandæ mouit testudinis alter
Amphion: Thebas dum struit absq; manu.
Scilicet agrestes animos, hominesq; feroces
Mollijt: & populos imbuit arte rudes:
Quos blanda flexit prece comiter, eloquioq;:
Et quos ius docuit, iustitiamq; sequi.
Musica sic multum, multum diuina Poësis,
Concentu numeris conueniente, valet.
Si vox est, canta: genius si, carmina salta:
Commoda sed vitæ carmina, grata Deo.
Carminibus mentes, mulcentur cantibus aures:
Fontibus ætherijs vtraq; vena fluit.

Maior

130 a
Fol

Maior post ocia virtus.

EMBLEMA XXII.

Ad Paulum Constantinum Phrygionem Medicum.

DVm rapidus torret sitientes Sirius agros:
Et Sol Herculei terga leonis habet:
Ingenij vires recreare, labore remisso,
Me iuuat: & modica, Paule, quiete frui.
Quod caret alterna requie, durabile non est:
Membra quies renouat, fessaq; corda leuat.
Sic ferus Alcides clauam posuisse cruentam
Fertur: & inuicta fusa tulisse manu.

Nec sapiens semper fuit, aut facundus Vlysses:
Errantes tenuit per mare sæpe rates.
Bella nec assiduè gessit violentus Achilles:
Sed cithara lusit sæpiùs, atq; lyra.
Tempestiua graues leuat intermissio curas:
Attenuat nimius corpora fracta labor.

Aurora Musis amica.

EMBLEMA XXIII.

Ad Jacobum Monauium Patr. Vratislauiensem.

Lutea

LVtea dum Cephalum tenebris Aurora fugatis
Manè videt laqueos tendere sæpe feris:
Quamlibet inuitum, rapit: impatiensq; maritum
Deperit: & donis hunc, opibusq; beat.
Quisquis amat Musas, Auroram diligit ille
Peruigil: & studijs, mane rubente, vacat.
Nam Musis aurora sacris Dea fertur amica:
Dum cerebrum, sensus, mens, ratioq; viget.
Sic homo doctrina, sic vsu crescit, & arte:
Quam census, vitæ quam comitatur honos.
Infelix, quicunq; piger sic stertere manè
Sustinet: & somnos gaudia magna vocat.
Qui viuit, vigilat: mors est velut altera, somnus:
Pro lucro damnum cui placet, inde feret.

Improba

Improba Siren desidia.

EMBLEMA XXIV.

Ad Vuolfgangum, & Carolum Rechlingeros, Patr. Augustanos.

PEr varios casus, per tot discrimina rerum,
Dum longas Ithacus itq́, reditq́ vias:
Sirenum voces, & Circes regna relinquit:
Blanda nec Atlantis tunc remoratur iter.
At socijs Circe dum pocula fœda ministrat:
Excors, & turpis sus fit hic, ille canis.

Quid

Quid monet hoc, Vuolfgange, rogas, & Carole? fratrum
Par benè compositum, pectora cara duo.
Si vos laus, & fama iuuat: virtutis amore
Difficiles pigeat ne superare vias.
Si nihil infesti durus vidisset Vlysses:
Fortè magis felix, at sine laude foret.
Sed blandæ mortes Circes, & gaudia dira
Sirenum, celeri sunt fugienda pede:
Nempe libido furens, & non concessa voluptas:
Scilicet hæc homines efficit vsq; feras.
Quam circum volitat nigris infamia pennis:
Et dolor, & si quid tristius esse potest.

Forma viros neglecta decet.

EMBLEMA XXV.

Ad Matthæum Ehæmium P. Augustanum.

SAlmacidis qui fonte lauat vir, semiuir exit:
Mollescit tactis illicò corpus aquis.
Quisquis desidiam sectatur, luxuriamq́:
Qui lautè comedit, qui lauat, atq; bibit:
Qui fingit vultus, ornatq́; subinde capillos
Ad speculum: captans sic simulacra sui:
Nec sua cum duris sudoribus ocia miscet:
Nec, quod agat semper, quodq́; sequatur, habet:

Denig;

Denig, qui se stultus amat: sine corde virili
Semimarem meritò dixeris esse virum.
Forma viros neglecta decet: cultusq, virilis
Legitimum sinem conuenienter amat.

Nosce teipsum.

EMBLEMA XXVI.

Ad Georgium Henricum Stibarum, Eq Francum.

DVm sibi quisq, placet, nimium sibi credit: & audet
Se supra sortem tollere quisq, suam:
Nec se, nec sua nosci it iners: alios q, superbus
Spernit: & est vitij cæcus amore sui:

Vltrix semper adest Nemesis: stupor occupat illum,
Atq; pudor: sua qui, seq; superbus amat.
Sic quondam liquidis vultus speculatus in vndis
Narcissus: nimium dum placet ipse sibi:
Liquitur, insanoq; sui tabescit amore:
Et sensim tecto carpitur igne miser.
Sola dolens huic commoritur resonabilis Echo:
Spreta olim: iam nunc vox, sonus, aura, nihil.

Tecum habita.

EMBLEMA XXVII.

In Attalum.

Circuit

Adhuc Coelum volititur.

Amico suo singulari Eduardo Leung
scribebat hæc Georgius Bichelius
Lecr. Salat. Aquis 13. Aprilis 98.

CIrcuit horrentis dum pelle leonis asellus:
Turpiter exutus, fustegz cæsus abit.
Marsya, dum propria non vis in pelle quiesse:
Phœbeis digitis excoriatus obis.
Sic elephantina quoniam Thraso pelle superbit:
Stultitiæ arguitur proditor ipse suæ.
Si sapis, esse tua contentus sorte memento:
Intra fortunam disce manere tuam.
Quem natura locum tribuit, satis esse putato:
Si, quod habes, non vis, iam miser esse potes.
Nam quid habes, quod non habeas quogz munere Diuûm?
Et quò plura negas tu tibi, plura feres.

Inter vtrunq; tene.

EMBLEMA XXIIX.

Ad Danielem Hermannum Borussum.

SVbuolat ad cœlum ceratis Dædalus alis:
Sic labyrinthæo tutus ab hoste fugit.
Icarus it comes huic puer: inter vtrunq; volare
Quem monet, & media tutiùs ire via.
Celsior it, pennisq; puer labentibus orbus
Fatales proprio nomine signat aquas.
Qui se non nosci t, sed concipit æthera mente:
Et supra sortem qui nimis alta sapit:

Maio-

Maioresq; suo pennas extendere nido
Gaudet; & à media flectere sæpe via:
Sentiet Icarium fatum: sublimibus ausis
Excidet: & vitam claudet in orbe miser.

Quò non liuor adit?

EMBLEMA XXIX.

Perdicis Prosopopœia.

QVæ prosunt alijs, ars, virtus, ingeniumq;:
Me miserum miseræ nempe dedêre neci.
Dædalus artificem dextram faber inuidet eheu:
Et me præcipitem Palladis arce iacit.

Sed

Sed benè, Palladiæ quod ſeruor numine dextræ:
Perdicem me ſicillicò fecit auem.

Homo homini lupus.

EMBLEMA XXX.

Ad Hieronymum Reuſnerum Leorinum.

LYncus rex Scythiæ ferus, Arcadiæq; Lycaon,
Quàm benè nomen habet, ſæuus vterq;, lupi.
Pœna ſit hæc ſceleris: namq; hoſpes, vt hoſtis, vterq;
Dum parat hoſpitibus damna, fit inde lupus.
Aut homini Deus eſt homo; ſi bonus: aut lupus hercle,
Si malus: ô quantum eſt eſſe hominem, atq; Deum.

Quid

Quid non ebrietas designat?

EMBLEMA XXXI.

Ad Joannem Posthium Med. & P. L.

LVxus, dulce malum, iucunda fallere fronte:
Appositam mortem luxus habere solet.
Ingluuies, res fœda, vorax; res crapula turpis:
Sobria vita pios, mensaq; parca decet.
Non sic Aetna grauis, non sic Vulcania tellus
Aestuat: vt nimio cor iuuenile mero.
Scilicet inflammant vitales vina medullas:
Et furiant mentes, ingeniumq; premunt.

Quid? quod nequitiam pariunt, & crimina magna:
Hinc pudor, hinc probitas, hinc metus omnis abest.
Quid cædes, rixasq; loquar? quid denique morbos?
Crapula quos cerebro, ventriculoq; parit.
Discite mortales vino moderatiùs vti,
Atq; cibo: superis vita modesta placet.

Medio tutissimus ibis.

EMBLEMA XXXII.

Ad Joan. Fridericum VVelserum,
Patr. Augustanum.

Pulcra

H. H. H.

15 M 90

Michael Neglein von Memmingen,
dieser Zeit Churpfalzbaierischer Lanzley
verwandter zu Nürnberg an der Pegnitz

Gott erfreue mich. 98.

Paul Borman fe. Pfalzgrefl. scher
Postmeister zu Neuburg an der
Donau.

Pvlcra magistratus species, & forma regendi:
Sed res solicito plena timore manet.
Non honor, ast onus est: pœnam pro munere poscit
Nescius, affectat qui sibi regna dari.
Namq; grauis res est, & eget moderamine certo:
Crebra per insidias, per mala mille via est.
Nec plebem regere est in promptu: sæpe repugnat
Stulta; sub imperio dum putat esse graue.
Si nescit rex, quà commissas flectat habenas:
Nec medium prudens, inter vtrunq;, tenet:
Siq; libet stimulis, quàm loris fortiùs vti:
Iam subito casu, cum Phaëthonte, ruit:
Qui dum flammiferos Phœbi premit insciùs axes;
Mergitur Eridani, fulmine fusus, aquis.

Crescit amor numi.

EMBLEMA XXXIII.

In Auarum.

CRescis, & Attalico domus alta renitet ab auro:
Corrasasq; colis, numinis instar, opes.
Nec satis hoc, animam lucris quoq; vendis iniquis:
Mercando solers excutis omne solum:
Exanimisq; metu vigilas, trepidasq; pauore:
Multaq; possideas quum bona, plura cupis.
Sic quondam sitiens fugientia flumina captat
Tantalus: & posita continet ora dape.

Sicq;

AVXILIVM MEVM
DOMINVS.

Kunst und Schrift

Johann Weisskirchen Conrader
zu Speyer Schreiner. Ist Jan:
Ao. 1600.

Ἀνέχου καὶ ἀπέχου.

Tandem bona causa triumphat.

Spes confisa Deo, nunquam confusa recedit:
Magnanimo interea pectore cuncta fero.

Certa tibi mors est, sed tecta futuris hora
Extremam ideirco quamlibet esse putes.

Tibi ego iucundum vitio ac crimine iustum
Et vidi nullam desinisse Deum.

Omnibus in terris, regionibus urbibus aulis,
Est labor atq; dolor, est dolor atq; labor.

In amicitiæ vinculum scribebat suo perofan.
M. Eduardo Stang Straub. Paulus Silberman
Bernhusanus. Scribam in Cancellaria Palat.
tum temporis agens. Neoburgi ad Danub.
6. Decembris Anno 1597.



Sicq; Midas tacto rex discruciatur ab auro:
Dum sua Pactolo flumine membra lauat.
Nec metuis (quanquam metuis permulta) quod hæres
Mox malè quæsitas puluere vertet opes.
Tutius est modica contentum viuere sorte:
In lætis mentem rebus habere piam:
Præsentisq; Dei venerabile numen amare:
Si nescis, cunctas res ea vincit opes.

Rex suus reginæ placet.

EMBLEMA XXXIV.

Ad Bartholomæum Reusnerum Medic.

CLasse petit Delphos Ceyx, Trachinius heros:
Dijs oblaturus munera grata suis:
Tempestas oritur maris ingens, atq; procella:
Quò maneat, coniux terq;, quaterq; rogat.
Fida viri coniux, & lecti gloria rara.
Sed frustrà, pietas debita suadet iter.
Sic abit ille quidem: medijs sed mergitur vndis:
Fluctibus, & ventis quum furit ira maris.
Alcyonen pius ingeminat sine fine maritus:
Ceycemq; vocat non minùs ipsa suum:
Proq; viri, superis facit irrita vota salute:
Thuraq; fert casta relligiosa manu.
Ille perit ponto: nec coniux sola superstes,
Conscia iam fati, permanet absq; viro.
Nam thalamo quos iunxit hymen, mors iungit in vrna:
Cumq; viro fiunt frater, & vxor aues.

Sola

1486

Sola viuit in illo.

EMBLEMA XXXV.

Ad Michaëlem VVirthium Jureconſ.

ROmulus Herſilia, cœli ſubit aſtra, relicta
Coniuge: quæ carum fletq́, gemitq́, virum.
Quam Iuno miſerata, per Irim, ducit Olympo:
Coniugis hîc, ſed nunc conſpicit ora Dei.
Excipit ætherea ſibi iunctam ſede Quirinus:
Cum forma, nomen mutat, Oramq́, vocat.
Sancta fides thalami ſuperat ſic tempora vitæ:
Quæ benè vincta ſemel, numine teſte, fuit.

Ibo

Ibo animis contrà.

EMBLEMA XXXVI.

Ad Albertùm à Steten, Patr. Augustan.

DEnte fremens, oculis trux, ſpumans ore, feroxq́;
Pectore, vaſtat agros dum Calydonis aper:
Lecta manus iuuenum coëunt de gente Pelaſga:
Conficitur telis hinc Meleagre tuis.
O quàm fortis aper, media truculentus in ira,
Chriſticolûm cœtus vaſtat in orbe ſacros.
Diÿ faciant, nouus exurgat Meleagrus in armis:
Fortia qui cæſo tela cruentet apro.

Fata

150 a

Fata viam inuenient.

EMBLEMA XXXVII.

Ad Matthæum Balerum Patr. Augustanum.



VT quondam Creta fertur Labyrinthus in alta,
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemq;
Mille vijs habuisse dolum: qua signa sequendi
Falleret indeprensus, & irremeabilis error.
Sic mundus latebris cæcis, flexuq; doloso
Corruptos animos hominum frustratur: & implet
Innumeras errore vias: vix vndereuerti

Sæpe datur: tanta est miseri fallacia mundi.
Vtq; ope virginea nullis iterata priorum
Ianua difficilis filo est inuenta reperto:
Quo duce Dædaleum Theseus iter inde relegit.
Sola Dei sic monstrat iter dux gratia verum:
Quò reuocare gradum, superasq; euadere ad auras
Possit homo: tanta est sortis miseratio nostræ.

Animum rege.

EMBLEMA XXXIIX.

Ad Obertum Giphanium Jurisconſ.

Dum

DVm legit Eurydice flores, per amœna vireta:
Orpheio vix dum iuncta puella toro:
Occidit, in talum serpentis dente recepto:
Consortem linquit sic noua nupta suum.
Qui nescit motus animi cohibere feroces:
Accelerat mortem, perniciemq; sibi.
Fortis erat, Stygijs puer olim mersus in vndis
Aeacides: pede sed non quoq; lotus erat.
Cætera qui vincit, se vincere nescit, & iram:
Inuictusq; animis vincitur ipse suis.
At melius Iason, dum vellus ab hoste reportat
Phryxæum: laudis victus amore nouæ:
Calceolis lauat amissis in flumine plantas:
Comprimit affectus sic, cohibetq; suos.
Responsare cupidinibus, sortiq; superbæ
Qui scit, Oberte; Deo proximus, ille sapit.

Sursum corda.

EMBLEMA XXXIX.

Ad Carolum Utenhouium Patr. Gandauensem.

IVppiter Europam rapturus, Agenore natam:
Phœnicum simulans fertur in arua bouem.
Gaudet amans pulcri formabouis: haud mora, tergo
Insidet: & Cretam per freta virgo petit.
Dum petit hanc, littus respectat sæpe relictum:
Donec se prodit Iuppiter esse Deum.
Fabula quid velit hæc sibi, me si Carole quæris,
Accipe, mens hominis, regia virgo fuit:

Per

Deus Dat Dona

Wolfgangus Hainricus à
Brandenstein 1901

Per mare quam mundi defert miserabile corpus:
Sæpe tamen patrios respicit illa lares.
Scilicet humanis mens facta obnoxia curis,
Luminibus cordis te, Deus alme, videt:
Te colit, & vero te contemplatur amore:
Perfruiturq; sui cognitione boni.
Namq; bonum summum Deus est, finisq; bonorum
Summus: ab hoc uno vita, salusq; datur.

Cupio dissolui.

EMBLEMA XL.

Ad Martinum Crusium.

PEr iuga dum nemorum pharetrata Diana vagatur:
Errantem siluis Endymiona videt:
Deperit hunc amens: & vt oscula carpat ab ore
Pastoris: longo membra sopore grauat.
Tuta Diana diu sic oscula figit amanti:
Oscula Dijs magnis per mare digna peti.
Qui pius est, viuitq; pius, moribusq; beatus:
Adq; Deum, sceleris purus, anhelat iter:
Per somnum Deus huic fert oscula blanda: piorum
Nimirum dulcis mors solet esse sopor.
Nam quos Christus amat, sibi iungit carne solutos:
Et rapit ad vitæ gaudia longa nouæ.
O dulcis requies: ô basia dulcia, cœlo
Proxima: felices, qui meruêre frui.

NICO-

NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII, IC. ET P. C.

EMBLEMATVM LIBER QVARTVS.

Virtus præmium optimum.

EMBLEMA I.

Ad D. Rupertum à Stozingen Consiliarium Cæsaris.

AVreus æterno frondescens ramus honore:
Symbola virtutis clara perennis habet:
Pulcricomaq; frequens hic crescit in ilice: magni
Quà nemoris spargit silua refusa comas.
Fortius vmbrosa nihil, aut fœcundius vsquam
Ilice: quæ viscum nobile fronde parit:
Et præter glandem, fert coccum lætа rubentem:
Et foliis semper frondet amœna suis.
Sic magnum decus est virtutis, magna potestas:
Perpetuus splendor, perpetuusq; vigor.
Fortius hac nihil est, nil fortunatius, & quod
Tam sit fœcundum sponte, feraxq; sua.

Qui

Qui sapit, hunc oculis vestigat, menteq́ ramum:
Nempe sub hoc virtus, forsq́ beata latet.
Auricomos nisi quis decerpserit arbore fœtus:
Elysias miser hic nescit adire domos.

ΕΚ ΤΟΥ ΠΟΝΟΥ ΚΛΕΟΣ.

EMBLEMA II.

Ad Dauidem Coberum, Cæsaris Consiliarium.

SI cui fama placet, si laus, si gloria: virtus
Est opus, & constans sedulitate labor.
Nam socius Labor est casus virtutis in omnes:
Illa bonæ Famæ mater, at hic pater est.
Sunt comites vtriusq́ Quies, Fortuna, Voluptas:
Quæq́ domum seruat, quum venit, alma Salus.

Aliud.

Sponsa decens Virtus: sponsus labor: ambit hic illam:
Fit coniux: nouus hinc Gloria fœtus adest.

ΠΙΣΤΟΝ

ΠΙΣΤΟΝ ΚΥΔΟΣ ΕΧΕΙ ΑΡΕΤΗ.

EMBLEMA III.

Ad Joan. Heinricum HainZelium, Patr. & Sen. Augustanum.

COnstans est virtutis honos, & gloria fida:
Et memorem famam, qui benè vixit, habet.
Aspicis, vt iuuenis galea decoratus, & hasta,
Sceptriger, & geminum crus ocreatus ouet:
Fœmineam flagrans speciem cœlestis Honoris:
Quæ galeam dextro sub pede calcat humi:
Quæq; manu plenam cornu fert fruge beata:
Cincta comas, nudo conspicienda sinu.
Virtutem robur decet, & prudentia mentis:
Sub pede testudo quod domiporta monet;
Et cassis, cristis præsignis, & hasta: vigorem
Ingenij magni penna decora notat.
Sceptra, potestatem vitij ratione domandi:
Munitumq;, ocreæ, pectus ad omne malum.
Qui per virtutem, verum sectatur honorem:
Et laudis magis est, quàm studiosus opum:
Sufficit huic, longumq;, diu perdurat in æuum
Gloria, res, census, gratia, fama, fides.

Huc cursus fuit.

EMBLEMA IV.

Ad Nicodemum Frischlinum Poët. & Com. Pal. Cæs.

MOns, qui verticibus petit arduus astra duobus;
Parnassi, medio cur tenet orbe locum?
Dic mihi, Phœbe pater. nam Iuppiter, alite missa
Imperium fertur sic didicisse suum.
Sic ego. sic contrà retulit mihi Phœbus Apollo:
Quæ medio ducit semita calle, placet.
Fas vt sit cuiuis artes edisce re doctas:
Sic datur ad Musas currere recta via.
Ast opus est magno nixu, duroq; labore:
Conscenso donec vertice victor oues.
Quòd si difficiles aditus, virtutis amore,
Viceris: hæc precium palma, decusq; dabit.

Vnica

160a
9Bl.

Vnica nobilitas virtus.

EMBLEMA V.

Ad Joan. Philippum Fuchsium à Pinbach. Andreæ F. Eq. Fr.

Est aliquid, longa censeri laude suorum:
Et claris ortum patribus esse domi.
Sed generis laus est tui ipsima: moribus vt sis
Nobilis, & vera simplicitate bonus.
Nam si cui generis laus est in origine sola:
Mox perit omnis in hoc nobilitatis honos.
Quòd si quis vitijs tantùm sit nobilis: ille
Immeritò titulum nobilitatis habet.
Nam quid habet cæcus tandem commune, Philippe,
Cum speculo? nunquid se videt ipse magis?
Turpe equidem, si nobilitat modò crimina vitæ
Nobilitas. virtus nobilitate prior.

Cedendo vince.

EMBLEMA VI.

Ad Hieronymum Osium P. L.

QVid frustra niti, nec cedere velle furori
Currenti, aut stimulum calce ferire iuuat?
Aptiùs obsequio, quàm stulta vincitur ira:
Cedere qui nescit, vincere nescit homo.
Nónne reluctando, stimulo dum sæpe feritur,
Plùs sibi, quàm domino, sic nocet acer equus?
Cedendo vinces melius: si cedere nolis
Impatiens: rabies gliscit, & ira magis.

Spes

162 a
80

Spes proxima messis.

EMBLEMA VII.

Ad Joannem Orthmannum Leorinum.

RVsticus vt gelidæ mandat sua semina terræ:
Et fructus tandem percipit inde nouos:
Sic nos è veteri pariter tellure renatos
Ferre decet fructus cum pietate bonos.
Turpe nefas, si quis sit pondus inutile terræ:
Ceu semen, moritur quod sine fruge bona.

Vis nescia vinci.

EMBLEMA IIX.

Ad Adamum Closium Silesium.

SCilurus en morti senex iam proximus,
Concordiæ octoginta natis symbolum
Pulcrum daturus insuperabilis suis:
Fasces dari mandat sibi: quos firmiter
Sic colligatos, singulis dat filijs:
Vnoq; nisu, aut altero frangi iubet.
Pro viribus conantur omnes: at diu
Frustra laborant. dein scopas solui monet:
Et singulas à singulis iam virgulas
Frangi. labor non est opus, aut nisus grauis:
Patrem celeriter quisq; voti compotem
Reddit sui: pro fasce iam minutulas,
Flammis paratas subitis, cernit ferulas.
Concordiæ vis magna, vinci nescia:
Quæ quandiu durat: salus, victoria,
Felicitas durat. quòd si discordia
Incessit amens: omni amisso robore,
Ab hostibus vinci potest facilè suis:
Quamuis potens, & magnus sit exercitus:
Fugit salus, victoria, & felicitas.

ΑΙΡΩΝ ΑΙΡΟΤΜΑΙ.

EMBLEMA IX.

Ad Henningum Hammelium Iurisconſ.

FAllere conſilio, res non operoſa, ſodalem:
Sed præiudicij res ſolet eſſe grauis.
Conſilij fructus ſuaſoribus inſtat iniqui:
In caput auctoris fraus mala ſæpe redit.
Sæpe dolis alios tentans euertere falſis:
Artibus interimit ſeq́, ſuoſq́, malis.
Sic ſcrobe ſæpe ſua capitur venator: & auceps
Quos poſuit, laqueis ſe capit ipſe ſuis.
Sic polypus, conchæ dum carnem captat auarus,
Alterius capitur protinus ecce manu.

IEPON

ΙΕΡΟΝ Η ΣΥΜΒΟΥΛΗ.

EMBLEMA X.

Ad Ioannem Sagerum Medicum.

CONsilium, res sacra: cauet consultor amicus
Consilio cuiquam velle nocere suo.
Fraudis, fraude sua, perit improbus auctor iniquæ:
Et patitur telis vulnera facta suis.
Ense suo Marium iugulat sic Pollio: telo
Sic Brasidas hostem conficit ipse suo.
Sic Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torret: & infelix imbuit auctor opus.
Sic monstratorem sacri Busiris iniqui
Mactat: vt Aegypto det Iouis imber aquas.
O quàm iusta Dei lex, & sententia iusta est:
Artificem fraudis fraude perire sua.

EΦHMEPOI TYXAI.

EMBLEMA XI.

Ad Marcum Thennium Augustanum.

DVm rebus fortuna fauet nimis æqua secundis:
Parciùs infidæ crede, nec alta sape.
Nam quum blanditur nimium fortuna serena:
Captatum stultos insidiosa venit.
Quos semel est complexa hedera, enecat illicò frondes:
Quos fortuna fouet, strangulat, æqua nimis.
Quod donat fortuna, time: venit illicò raptum:
Eripit vt Solem nubila sæpe dies.
Sorte tua potiùs gaude: laudabile Marce
Viuere naturæ conuenienter erit.

Omne nocet nimium.

EMBLEMA XII.

Ad Thobiam Zorerum IC. Consil. Palatinum.

NEc mihi diuitijs contingat grandibus vti:
Nec me paupertas rursus iniqua premat.
Difficilis res est, opibus non tradere mores:
Pauperiesq; probro sæpe maligna datur.
Inter vtrunq; malum, benè viuere deligo paruo:
Felix, cui modicas dat Deus æquus opes.
Si minus exundat Nilus, miniúmve, per æstum,
Quàm satis est: Pharios mox premit atra fames
Omne nocet nimium: modus est pulcerrima virtus:
Et modicis rebus gratia maior inest.
Stultus plura cupit, quàm vitæ postulat vsus:
Quod satis est, homini sufficit herclè pio.

ΠΛΟΥΤΟΣ

ΠΛΟΥΤΟΣ ΑΦΑΝΗΣ.

EMBLEMA XIII.

Ad Sebastianum Rœtingerum Jurisconsultum.

Marti sacrificant Ephialtes acer, & Otus:
Barbara quem vinctum crure cataſta tenet.
Condit iners aurum, congestis vndiq; saccis:
Et cumulat magnas semper auarus opes.
Crescunt diuitiæ: numorum dira cupido
Crescit: & inter opes Euclio viuit inops.
Nam veluti pictis gaudet sine mente tabellis:
Et tanquam sacris parcit auarus homo:
Grande nefas censet quibus vti ritè, fruiq;:
Sic, nisi diuitias, nil malè sanus amat.
Sic auri formica vigil componit aceruos:
Compositis vti nescia diuitijs.

Munerum vis.

EMBLEMA XIV.

Ad Joannem Bonriederum Jurisconsultum.

Quis credat? laqueo lepus pusillus
Ingentem trahit aureo leonem.
Certat muneribus profana turba:
Corrumpens animos ducum suorum:
Et placans sibi, leniensq; multo
Auro: quum satius sit emereri
Plena munera maximorum honorum,
Sanctitate, fide, innocentiaq;.
Piscari libet aureo sed hamo:
Nam placant homines, deosq; dona.

Opulentissimus quinq. irrequietissime. Vixit.

O. O. O. L. S. G. G. F.

1 5 8 2.

Hæc scribebat el. pn
Laurentius Maierus



1706

PLATO LIB. I. POLITIC.

Bona Conscientia est dulcis nutricula se-
nectutis. Non habens malam Consci-
entiam, diu se uiuere.

M. Sebastianus Corninus
Neoburgensis. Lauingæ.
Anno CIↃ. IↃ. LXXXI.
: x. Kalend. Maij.

I. B. G.

ΠΛΟΥΤΟΣ ΑΠΛΟΥΤΟΣ.

EMBLEMA XV.

Ad Sebastianum Coruinum Neoburgium.

Milluus, & accipiter, pardus, tigrisq; relinquit
Potum, escamq; aliis, quam vorat, atq; bibit.
Sic partas aliis plerunq; relinquit auarus,
Per fas, atq; nefas quas cumulauit, opes.
Qui malè lucratur, damnum facit ille, pudore
Cum turpi mistum. quid iuuat inde lucrum?
Si quis opes amat, has iustè sibi comparet ille:
Nam malè parta, male copia sæpe perit.

Christo duce, & auspice Christo.

EMBLEMA XVI.

Ad Henricum Porsium P. L.

FLore nitens croceo Clytie (mirabile dictu)
Perpetuò Phœbi seruat euntis iter:
Seu tenet occasum; summo seu surgit ab ortu:
Seu spacio Phœbus distat vtring; pari.
Sol vitæ, Christus Deus est, lux lucis amatæ:
Cuius nos fas est semper amore trahi.
Felix, cui dux ille viæ cœlestis adhæret:
Quem qui non sequitur, Tartara nigra subit.

Ira fu-

Ira furor breuis.

EMBLEMA XVII.

Ad Joachimum, Joach. F. Camerarium Medicum.

Aspicis, vt torto volitet sub verbere turbo:
Quem celer hic solita versat ab arte puer.
Dant animos plagæ: gyros trahit actus habena
Immodicos: nec, quò turba feratur, habet.
Ira furor breuis est: stimulis agitata minarum
Euolat: & vires colligit inde suas.
Sæuior immissis furit hinc, velut ignis, habenis:
Præcipitemq; furens, quò libet, ardor agit.
Qui sapit, haud longum tempus concedet in iram:
Iratoq; dari non volet arma sibi.

Mentam

Mentam ne comedas.

EMBLEMA XIIX.

Ad Adolphum Occonem Medicum & Historicum.

MEntam ne comedas, neq; plantes tempore belli:
Sic equidem veterum regula sancta monet.
Cur? an quòd timidas facit, imbellesq; cohortes
Frigida? sic magnus censet Aristoteles.
An quòd delicijs facit indulgere, gulæq;:
Cum condimentis hæc, & odore placet?
An quòd & hæc metuit ferrum, si credere fas est:
An quòd dissidijs tunc vetat esse locum:
Quando semel longo durat sata tempore, menta
Fertilis, & damnis ditior vsq; suis?
An potiùs Venerem quòd iners remoratur amicam?
Nec reparat damnum Martis ab ense datum?

175a

ΟΜΙΛΙΑΣ ΓΕΡΑΙΤΕΡΑΣ ΦΙΛΕΙ.

EMBLEMA XIX.

Ad Nicolaum, Nicolai F. Redigerum, Patr. Vratislauiensem.

SI colis, & tractas polium: te fama, decusq́;
(Sic canit Hesiodus) te comitatur honos:
Cæruleum versper, niueum quod conspicit Eos:
Purpureum medius, Sole calente, dies.
Triplex est ætas hominis, triplexq́; senectus:
Felix, officium quæ facit apta suum.
Multa docent anni: longo venit vsus ab æuo:
Mens sequitur prudens, consiliumq́; senes.
Quid liceat, norunt, & quid sit fasq́;, nefasq́;:
Si sapis, hos digno semper honore cole.
Dilige canitiem: rugas reuerere seniles
Promptus: & arbitrio viuere disce senum.
Sic laudem tibi, sic famam sine labe perennem:
Sic potes æternum conciliare decus.

Splendida miseria.

EMBLEMA XX.

Ad Ioannem Christophorum Fuchsium in VVallenburg Eq. Fr.

MAgnus honos generis, sed census maior habetur:
Nam vulgus censu diuite cuncta probat.
Ille quidem miser est, cui nobilitare dolorem
Nobilitas vitæ, pauperiemq; solet.
Sed malè. nam quamuis paupertas vilis habetur:
Nec benè nobilitas pascit egena famem:
Si tamen illa genus magnum virtutibus auget:
Immensas superat totius orbis opes.
Quæ venit ex opibus, quid erit, nisi fumus ab igne,
Gloria? qui parua sæpe gelatur aqua.
Qui rectè viuit, solus mihi nobilis ille,
Et bonus, & sapiens, & benè dives erit.
At tibi nec splendor generis, nec copia dives,
Nec virtus, Fuchsi, deficit, arsq; potens.
Felix ô nimium felix. sic nobilis ergo,
Sic bonus, & sapiens, & benè dives eris.

Trans-

Transeundum.

EMBLEMA XXI.

Ad Caparium Ordinarium.

Transeundum.

EMBLEMA XXI.

Ad Casparum Orthmannum.

VIta quid est? nihil est, nisi velox transitus: alis
Transuolat ambiguis, mobilis instar auis.
Vna fuga est: fugit hora, fugitq; volatilis ætas:
Ceu turbo cæcus, ceu leuis vnda fugit.
Ceu fumus tenues subitò vanescit in auras:
Aut si quid fumo vilius esse potest.
Discе mori, finemq; ab origine cernere discе:
Et fontem vitæ discе videre tuæ.
Aspice quale sit hoc fœdum, atq; exangue cadauer:
Cui subito similem te facit hora breuis.
Longior haud ætas hominum, quàm gratia florum:
Vna dies nasci quos videt, vna mori.

Aliud.

Vita viatoris quasi transitus: omneq; finem,
Quicquid hic immundus mundus honorat, habet.
Transit honos, transit fortuna, pecunia transit:
Mente Deo similis, corpore transit homo.
Transiuêre patres: simul hinc transibimus omnes:
In cælo patriam, qui benè transit, habet.

Mater iniustitiæ, tyrannis.

EMBLEMA XXII.

Ad Joannem Brastbergum Juriſc. & Cancell. VVirtebergicum.

PErpetuum bellum eſt elephanti, & morte piandum
Dracone cum Titanico.
Peruigil hic elephantinas male vulnerat aures:
Aeſtuq; laſſus, & ſiti,
Frigidulum cupidè nimis imbibit ore cruorem:
Quo factus ebrius ſemel
Rumpitur, opprimiturq; procax: animamq; refuſo
Cum ſanguine euomit ſuam.
Sic populum latè credentûm Marte fatigat
Furor tyrannorum potens
Aſſiduo: quorum ſitiunt ſine fine cruorem,
Immanitate barbari:
Nec rabiem ſatiant diram: niſi cæde piorum
Sint ebrij innocentium.
Tunc rupti ſanctum reuomunt, Brastberge, cruorem:
Magnoq; cum probro ſuo,
Singultant animam fœdam; pœnisq; ſub Orco
Mactantur hinc perennibus.

Cuncta

Cuncta potest vsus.

EMBLEMA XXIII.

Ad Joan. Fridericum, & Joan. Henricum Schertelinos, à Purtebach.

CEu putredo trabes, & lignum conficit ignis:
Sic torpor mentem, curaq; sæpe necat.
Et ceu vomer iners scabrescit sorde, situq;:
Sic mens pigritia, lentitiaq; perit.
Cuncta potest vsus: labor improbus omnia vincit:
Quem quicunq; fugit, iam decus omne fugit.

In Paguro sapientia.

EMBLEMA XXIV.

De Paulo Ebero S. Th. D.

QVid modicas paruo rides in corpore vires?
Pectore si magnus sum, Polypheme, sat est.
Scilicet est paruis etiam sua gratia rebus:
Formicæ quoq; vis, & sua bilis inest:
Et sua commendat sapientia rara pagurum:
Pendet hic è collo, magna Diana, tuo.
Consilij signum prudentis: in æde dicata
Quæ gaudes Ephesi per tua sacra coli.
Malo mihi paruo sit mens in corpore magna:
Quàm Cyclopæo robore membra geram
Mentis inops. malè sic habitat mens ardua Galbæ:
Ingenuas vires, nobile pectus amo.

Per

Per saxa, per ignes.

EMBLEMA XXV.

In Planum.

Fortunam dubio quid quæris in æquore cæcam?
Quid mundi solers excutis omne latus?
Stulta, grauisq; via est, tanto bona velle caduca:
Tormentis quæstus, naufragijsq; sequi.
Nec caput argento, merci præferre salutem:
Ast immaturam mortis adire viam.
Si vendas animam lucro: post vltima fata,
Quod tibi de lucro diuite nomen erit?
Nec fortuna diu fauet, & mox omnia versat:
Incertam præbet quælibet hora fidem.
Sic larus, æquoreis victum qui quærit in vndis,
Prælia cum ventis irrequieta facit.
Quærere virtutem præstat, quàm quærere censum:
Te, Plane, sed gratis pœnitet esse probum.

Omne

Omnerarum, carum.

EMBLEMA XXVI.

Ad Laurentium Gualtherum Cuchelium Medicum.

NEscit homo, maluæ vis quanta sit, asphodeliq;:
Quæ passim ingrato sub pede trita iacent.
Si Nepa let hiferum sparsit per membra venenum:
Asphodeli tuius floribus esse potes.
Sacra Magis est herba: grauatis malua salubris
Corporibus: morbi quæ fugat omne malum.
Quò quid rarius est, hoc carius: optima quum sit
Rebus in humanis, vilis habetur aqua.
Quæ libeant, si fas est sponte cuiq; potiri:
Frigidiùs, quamuis sint bona, semper amat.
Rara iuuant: sordet piper Indis; pulegioq;
Quod spernunt alij, primus habetur honos.
Quæ noua sunt, capiunt animos: fastidia contrà
Cuiuscunq; rei copia magna parit.

Tempus

182 a

Tempus eme.

EMBLEMA XXVII.

Ad Albertum Fabrum Jurisconsultum.

CArius est, quodcunq; emitur, licet exiguum sit:
Carior est, vænum quæ datur, omnis aqua.
Sic æt as homini bona, sic est tempus emendum
Vtile: si verum littera sacra monet,
Sit quamuis rerum vilissima nunc aqua vulgò:
Si sit opus, quouis gratior ære placet.
Carius argento tempus, preciosius auro:
Amplius haud redimi, quod perit, ære potest.
Labitur occultè, ceu mollis, & effluit, vnda:
Quam semel elapsam non reuocare potes.
Tempore, dum licet, vtendum: fugit ocyus amne
Hora breuis: nec, quæ præterit, hora redit.

Sustine, & abstine.

EMBLEMA XXIIX.

Ad Hadrianum Junium Medicum.

CAlceolo dextrum munire, lauare sinistrum
Pythagoras pelui cur monet antè pedem?
Quæris, cur? monet abstineas vt, sustineasq́:
Abstineas prauo, sustineasq́ bonum.
Sincerum est nisi vas, quodcunq́ infundis, acescit.
Sordida si qua latent pectore, prima laua.
Sin minus, aduersus casus benè prouidus omnes
Præmuni pectus spęq́, fideq́ tuum.

Maxi-

Maxima victoria, victa voluptas.

EMBLEMA XXIX.

Ad Josephum Scaligerum, Jul. Cæs. F.

PEr Lydos dum carpit iter cum milite Xerxes
Innumero: platanum per loca sola videt:
Aeriam platanum, præbentem frondibus vmbram
Pulcricomis: raptus cuius amore fuit.
Protinus armillis decorans, & torquibus aureis,
Et quicquid decoris regia vestis habet:
Militis oblitus rex, militiæq́: sub vmbris
Castra locans, duci tempora læta monet:
Perq́ diem totum, re non cogente, moratus:
Indulget genio, dulcia carpit iners.
O rem ridiculam. ô quantum est in rebus inane!
Maxima pars hominum non facienda facit:
Dum facienda fugit, platanum sectata: voluptas
Quando sub hac regnum nunc geniale tenet:
Dumq́ oblita suæ mentis, modo corpus honorat:
Ac ne sæpe quidem corpus honorat iners:
Sed potiùs turpi vitiorum labe malorum
Dedecorat: sic mens turpificata perit.
Quò fit, homo, dum viuit, vt aut nihil, aut malè quiduis,
Aut aliud, quod non est opus, omnis agat.

Fronti nulla fides.

EMBLEMA XXX.

Ad Martinum Neandrum Leorinum.

FRonte hilari qui sunt, & tristi corde: fatebor
Illos inimicos esse longè pessimos:
Quos nec, vt apprendas, noris, nec quomodo mittas:
Hos, si sapis, mecum cautus semper fuge.
Nam dextra monstrant panem: lapidemq; sinistra,
Aut virus occultant manu.
Sic rex Antigonus superos rogat: vt queat esse
Tutus suis ab amicis, non ab hostibus.

Vbi ami-

1862
X

1866

Cicero

Amicitiam omnibus rebus humanis
anteponamus. Nihil est enim tam
naturae aptum, tam conueniens
ad res uel secundas uel ad-
uersas.

M. Joannes Blosius
Ser: Lauingae 10
Cal: Martij. Anno
81.

Vbi amici, ibidem opes.

EMBLEMA XXXI.

Ad Joannem Blosium Mathematicum.

THesaurus bonus est, prudens & fidus amicus:
Si nempe amicus est, ita vt nomen cluet.
Cedant diuitiæ, cedant ingentia rura:
Nil homini, amico opportuno est amicius.
Plus homini prodest, opibus sine, certus amicus;
Quàm magnæ opes prosunt, amicis sine bonis.
Spernit opes, gazasq́; suas Scytha durus: amicos
Qui possidentem, possidere maximas
Monstrat opes. sic & thesauros iactat amicos,
Quos beneficijs ornauit immensis, suos
Magnus Alexander, Ioue natus, & inclytus heros:
Orbis triumphator potens quadruplicis.
Quærit opes parasitus; amici pectus amicus
Fidum sui, certamq́; beneuolentiam.

Amicorum paria.

EMBLEMA XXXII.

Ad Paulum Melissum.

Pirithoo Theseus, Pylades comes iuit Oresti:
Patroclo Aeacides, Nisus at Euryalo.
Par fuit his virtus, & amor, candorq́; fideśq́:
Qualis in Atridis, Tyndaridisq́; fuit:
Fratribus in Siculis qualis, geminisq́; Palicis:
Qui duo corporibus, mentibus vnus erant.
Sic ego te fratrem, sic tu me dilige frater:
O animo penitùs Paule recepte meo.
Sim tuus Euryalus: sim certus amicus Oreſtes:
Patroclusq́; tuus, Pirithousq́; tuus:
Tuq́; meus Nisus, Pylades meus, oro, Meliſſe:
Tu ſis Aegides, Aeacidesq́; meus.
Sim tibi Caſtor ego: ſis tu mihi deniq́; Pollux:
Tu ſis Amphion: ſim tibi Zethus ego.
Sim minor Atrides ego: ſis tu maior: amore
Sic certare duos faſq́;, piumq́; reor.

Nulla

Nulla est sincera voluptas.

EMBLEMA XXXIII.

Ad Vuenceslaum Raphanum Medicum.

NVlla adeò terris affulget pura voluptas:
Quam tetro vitiet non tibi felle dolor.
Contigit humanæ sors istæc addita vitæ:
Vt subeant lætæ tristia plura vici.
Haud secus ac Soli tenebræ, veriq; tepenti
Tristior ingrato frigore bruma subit.
Aut veluti tumidas glomerat quum turbo procellas,
Disjcit incertam per freta mota ratem.
Si sapimus, lætis vtamur, amice, diebus:
Gaudia non durant, mox fugitiua volant.

Pestis

Pestis adulator regum.

EMBLEMA XXXIV.

Ad Vitum Curnerum Jurisconsultum.

Simiolam Leo terrestrem, Delphine marinam
Quando voras æger, sanior esse potes.
Quadrupedum rex es Leo, tu Delphine natantûm:
Imperium vobis terra dat, atq; mare.
Perdit adulandi gens prudentissima, magnas
Aulas, & regum languida corda facit:
Qui sapit, hos princeps scurras, ceu dira venena,
Incolumes regno non volet esse suo.

Vt ho-

Vt homo est, ita morem geras.

EMBLEMA XXXV.

Ad Ludouicum, Joach. F. Camerarium.

DVm lepores magno præscribunt iura leoni:
Aequalemq; volunt omnibus esse locum:
Maior ne premat imperio violente minorem:
Sed vires cedant legibus, armatogæ:
Recta quidem lepores, verùm sine mente fatetur
Dicere, quæ dicant, & sine dente Leo.
Purpurea terga decet leporum, rex inquit: & vngue
Pugnaces iubet hos dilaniare feras.
Sic monet haud quisquam sæuos impunè tyrannos:
Quis pro lege magis vis violenta placet.
Quod libet, hoc fas esse putant. contraria qui vult
Dicere: mox pœnas pro pietate luit.
Sic olim Siculus pro libertate Tyrannus
Mactandum Polidi morte Platona dedit.
Talis Prexaspis, talis Callisthenis olim
Sors fuit: & nocuit candor vtriq; suus.

Stet pro ratione voluntas.

EMBLEMA XXXVI.

Ad Bartholomæum Schonbornium Medicum.

CErnis, vt infirmis balæna minaciter agnis
Iura det; & leges imperiosa ferat:
Atq; repugnantes crudeli dente lacessat:
Et laceret rictu, dilanietq; suo.
Sic edicta pijs proponunt dura tyranni:
Plena metus, omni quæ ratione carent.
Sic volo, sic iubeo (clamant) lex vna, voluntas
Sit mihi: plus æquo vis inimica valet.
Si non his parent, pereunt discrimine nullo,
Turba insons, gladio, funibus, igne, rota.
Monstra tuis regnis, Deus, hæc auerte precamur:
Atq; tyrannorum vim, rabiemq; preme.

Fiducia

Fiducia concors.

EMBLEMA XXXVII.

Martini Capleri, & Saræ VVeiccerſreu-teræ Epithalamium.

CAſta ſuo nubit Martino Sara marito:
Dÿ faciant, pactus ne malè cedat hymen.
Sic oleam vitis, vitem deſiderat vlmus:
Sic rutam ficus, cynnama nardus amat.
Sic chalybem magnes: ſic vnio, cordis amica,
Coralium, ſocio iungit amore ſibi.
Turture ſic gaudet turtur, corniceq́ cornix:
Compare ſic compar gaudet amata ſuo.
Perpetuo Charites ſedeant, Suadelaq́ lecto:
Sitq́ Venus cuſtos, Mercuriusq́ tori.
Compoſito ſocialis eget ſermone voluptas:
Quæ data ſunt apto tempore, verba valent.
Blandos blanda decent: quod poſtulat vnus, hoc alter
Sponte velit coniux, & ſine lite, ratum.
Sit præſto, faueatq́ pÿs Concordia votis:
Sit Pax, ſit bona Sors, ſit comes alma Salus.
Copia ſit Cornu præſens opulenta benigno:
Fœcundoq́ fluat lacq́, merumq́ toro.

Tria mala bona.

EMBLEMA XXXIIX.

Ad Joannem Sturzelium Jurecos. Sp.

Θάλασσα, καὶ πῦρ, καὶ γυνὴ κακὰ τρία.

Tria sunt mala, Aequor, Ignis, atq; Fœmina.
Verúm ne dicit Comicus? non arbitror.
Aqua omnium est rerum optima (inquit Pindarus)
Auroq; longè præstat ignis splendido:
Principia sunt hæc omnium rerum duo
Corporea: quæ vitam propagant, & fouent
Mortalium. ceu nascitur quondam Venus
Mari: Saturnus quod genitalibus patris.
Cœli amputatis polluit impius sui.
Sic maximum vitæ bonum sunt nuptiæ:
Quum vir bonus dulci potitur coniuge:
Quæ firmamentum est vnicum familiæ:
Columen domus: lecti iugalis gaudium:
Curæ leuamen: & vitæ adiutorium:
Cordisq; Margarita dives: vnio
Sola vnionum vna omnium pulcerrima.
Non igne, non aqua magis in mundo est opus:
Quàm coniugum sancta piorum copula:
Qua vita semper sobole reparatur noua
Humana: quum mors falce nos metit sua.

Nimi-

1940

Nimirum hoc est, sapiens quod olim antiquitas
Ignem sacris, aquamq; nuptialibus
Præferre sueuit: & domi solennia
Apponere hæc nuptæ nouæ donaria.
Hoc veluti sacramento firmans fœdera
Connubialia: & legem sic dans tori:
Vt pura sit fides, amorq; candidus:
Diuulsus haud querimoniis vnquam malis:
Ceu purgat ignis, expiat lustratq; aqua.
Tu, Sponse, nuptam dum tibi quæris nouam,
Pulcram, piam, probam, pudicam virginem:
Mores, fidesq; quam decent: metus Deûm,
Parentum amor, propinquorum concordia,
Et cura cui domus placent: rectè facis,
Sanctis Dei æterni obsecundans legibus.
Nam consulens famæ tuæ, dum seculum
Præsens honoras, prouides in posterum.
Maritus es iam, mox fies (opto) pater:
Vtrunq; nomen dulce, vtrunq; amabile est.
Multos per annos sic tua cum coniuge
Viues beatus in tuis hîc liberis:
Aqua fruens, & igne: sanus corpore
Et mente: cunctis affluens vitæ bonis.
Sors hæc piorum est coniugum: præter Deum,
(O tuta res) nil in mundo timentium.
Inunc, malum dic nuptias. nam verius

Tria sunt bona, Aequor, Ignis, atq; Fœmina.
Θάλασσα, καὶ πῦρ, καὶ γυνὴ ἀγαθὰ τέλα.

Ingenij stat sine morte decus.

EMBLEMA XXXIX.

Ad Nicolaum Steinbergerum P.L.

SErta comas, vnguen nares, aqua frigida palmas,
Lux oculos, aures vox iuuat, esca gulam:
Quid tum? serta cadunt: vnguen moritur: breuis & lux
Occidit: vnda fugit: vox abit: esca perit.
Paruo cuncta iacent euanida tempore: sola
Ars remanet, memori condita mente semel.
Scilicet hæc hominis vitam non deserit vnquam:
Sponte sua nos ars, ingeniumq; iuuat.
Pulcrior haud flos vllus, odor fragrantior vsquam:
Mollior haud tactus, visus amabilior:
Suauior harmonie, cibus haud est dulcior arte:
Viuitur hac solùm: cætera mortis erunt.

ΗΛΙΟΣ

ΗΛΙΟΣ ΕΣΠΕΡΑ ΜΗ ΦΘΟΝΕΙ.

EMBLEMA XL.

Ad Andream Alciatum Jurisconsultum, Io. Sambucum Historicum, Hadr. Iunium Medicum, V. CL. Emblematum scriptores.

Anni rector, & arbiter dierum,
Mundi fax, oculusq́, lucis auctor:
Sol haud inuidet Hespero: nec ægrè
Fert hic, æthere si qua tunc sereno
Fulget stellula. Sic beate Iuni,
Sic Sambuce diserte, túq́ sancti
Consultissime Iuris Alciate:
Quos Apolline Musa patre terris
Tres nuper peperit Thaleia Soles:
Aeui lumina clara sempiterni:
Sic (inquam) mihi vos breuem potesse
Haudquaquam reor inuidere lucem:
Consors quando lyræ repentè vestræ
Factus, me super astra tollo lætus:
Vt si stella decore non perenni;
At stellam simulans, Cometa saltem
Ad tempus liquido micem sub orbe.
Sic spero. quid enim meo nitore

Splendori

Splendori queo derogare vestro?
Quorum cedo equidem lubens honori,
Et magnis titulis: nec inuidenda
Passim quos mea Musa laude tollit:
Aeuo vix moritura nascituro.

FINIS.

IERE-

IEREMIAS REVS, NERVS LEORINVS, IACOBO MONAVIO, PATRICIO Vratislauiensi, V. C L. S. D.

FRAGMENTVM *hoc Imaginum Sacrarum placuit mihi, Jacobe Monaui, quatuor Emblematum libris adiycere: & sub tuo potißimum nomine in manus hominum emittere: cùm ob singularem, & eximiam doctrinam, virtutemq; tuam: tùm verò ob veterem amicitiam, & familiaritatem vestram quæ olim cœpta feliciter in patria: deinde Lipsiæ, ac Viteberg æ multis officijs, & mutuis aucta, & cõfirmata: & longo iam tempore diligenter, sanctéq; seruata est: vt nihil possit esse cõiunctius: quàm vos inter vos estis. Quod sanè*

studium, & officiũ meum vt gratum tibi, & acceptum fore spero, vel planè potiùs confido: ita hoc qualecunq; argumentum obseruantiæ in te meæ esse volo: cuius amori, fideiq; me totum commendo. Vale. Viennæ.

NICO-

280 a

NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII, IC. ET P. C. EMBLEMATVM SIVE AGALMATVM SACRORVM LIBER VNVS SVPERadditus.

I.

Deus Deus.

SVm Deus, Aegypti quem sic finxêre coloni:
Omnipotens Diuûm rex, hominumq; parens.

Conſpicuus nulli, ſublimis in æthere regno:
Penna caput tegit hinc, & diadema, meum.
Cærula me decorat veſtis: cæleſtis origo
Eſt mihi: fine ſimul, principioq; carens.
Sceptrum dextra tenet: populi ſum rector, & orbis:
Imperio paret terra, fretumq; meo.
Læua gerit Zonam: per me ſic omnia conſtant:
Contineo vitæ fata, neciſq; manu.
Si rogitas, ouum cur prodeat ore? creatum,
Quod cernis, verbo ſis memor omne meo.
A me principium tibi ſit, ſit finis & in me:
Per me ſuſceptum ſic benè cedit opus.

Magna

202. b.
981.

II.

Magna potentia verbi.

Ad Philippum Melanchthonem V. CL.

MAgna Dei virtus, & magna potentia verbi:
Per verbum constant omnia nempe Dei:
Cœlum, terra, fretum, volucres, animalia, pisces,
Cum plantis frutices, arboreaq; comæ.
Per verbum facti: per verbum deinde redempti
Mortales, morti dedita turba, sumus.
Quod sumus, & si quid nos possumus: hoc sumus, & nos
Per verbum solum possumus omne Dei.

Mors, Sathanasq; fugit, verbi virtute domatus:
Et fugit ad verbum gens inimica Dei.
Felix mens, indiuiduus cui gratia verbi
Fit comes: in verbo vincere, certa salus.

III.

Senarij perfectio.

Ad Danielem Princium, Consiliarium Cæsareum.

PErfectio numeri omnis est Senarius,
Partibus & integer suis.

Vnum,



Vnum, duo, tria, nónne sex faciunt? gerit
Idem figuram temporis.
Sic sex diebus fecit hunc mundum Deus:
Lux data quieti est septima.
Sex & Deus mundi molitur secula:
Suis dimensa finibus.
Sic luce sexta factus est homo: Dei
Artificis exemplum sui:
Aeuoq; mundi sexto filius Dei;
Imago vera sui Patris:
Mortalis in terris hominis sit filius:
Aeui reformator noui.
Quid? quod patres ætas sex prima nominat,
Haud mortis immunes feræ.
Sed per fidem letho sit haud obnoxius,
Primi pater æui septimus.
Præforibus ergo nónne iam vides nouum
Instare, Princi, seculum?

Vita

IV.

Vita Mors.

Ad Ioachimum Beusthium Iurisc. & Consil. Saxonicum.

PRimus Adamus homo sator est cum crimine vitæ:
Mortis iter sator est primus Adamus homo.
Vita Dei, Sathanæ mors est opus: ille bonorum
Auctor: at hic scelerum primus in orbe fuit.
Eua parens hominum mortem propagat in omnes:
Dum veteris culpæ nos facit esse reos.
Mors culpæ merces: fruimur quod duplice vita
Mortales: bonitas est tua magna Deus.

Extra

V.

Extra Eccleſiam ſalus nulla.

Ad Nicolaum Otomannum Patr. Vratiſlauienſem.

QVando diluuij totum vis obruit orbem:
Pro noxa, noxam ſic ſtatuente DEO:
Arca Deo medijs ſolùm duce manſit in vndis
Lignea: quæ vexit per freta ſalſa Noham.
Arca Nohæ, ſacer eſt cœtus te, Chriſte, colentûm:
Qua ſine nulla fides: qua ſine nulla ſalus.
Mente ſequi fida, res eſt tutiſſima, cœlum:
Qui Chriſtum vera ſimplicitate colit.

Miſceat vt cœlo maria omnia perfidus hoſtis:
Fluctibus è medijs liberat vna fides.

VI.

Vindicta velox.

Ad Petrum Vincentium V. C. L.

QVid fugitis rapidas tantis conatibus vndas?
Si mare, ſi cœlum vos tegit, aut ſolum.
Quid montes ſuperare iuuat? quid denſas ſilua?
Si premit vltoris vos grauis ira Dei.
Tarda fuga eſt: quum iam fuga non ſuper vlla pericli eſt:
Serò ſapit, quiſquis poſt ſua fata ſapit.

Dum

Dum licet, ô miseri, fugite improba crimina vitæ:
Infelix, si quem numinis ira premit.

VII.

Dominus prouidebit.

Symbolum D. Maxæmyliani II. *Cæsaris Romani.*

QVid tecum fortuna mihi, quid cura maligna?
Si rebus Dominus prouidet vsq; meis.
Prouidet vsq; meæ vitæ Deus, atq; saluti:
Ille meus Dominus, sit Deus ille meus.
Sic Abrahæ pietas Domino placet: hostia ne sit
Filius: è supera prouidet arce Deus.

IIX.

Scala ad cœlum Christus.

Ad Iesum Christum ΘΕΑΝΘΡΩΓΟΝ.

DVm fratris fugit arma sui scelerata Iacobus:
Fessus humi somnum, Sole cadente, capit:
Sub dio, fultus saxo caput. ecce repentè
Surgere visa solo scala, subire polum:
Quam super ad Dominum, subnixum vertice summo
Conspicit aligeros ire redire choros.
Scala notat te, Christe Deus: tu ianitor alti
Aetheris es, per quem cœlica porta patet.

Tu cœ-

Tu cœlum iungens terræ: mortalia ſummo
Membra Deo: fratres nos facis eſſe tuos.
Tu priſci renouas commercia rurſus amoris:
Tu pacem reddis, iuſtitiamq́; pys.
Per te, Chriſte Deus, facilis conſcenſus Olympi:
Tu via, tu veri fons es, & alma ſalus.

IX.

Fidei vis inuicta.

Ad Georgium Sebaſtianum Stibarum Eq. Francum.

Quis nouus hic hostis, cum quo luctatur, & à quo
Pulcram reportat Iacobus victoriam?
Sic pugnare pijs; vinci certamine pulcro
Sic filius gaudet Dei, mundi Salus.
Nam quanquàm rex est regum, dominusq; potentum
Et victor orbis solus inuictissimus:
Spe tamen, atq; fide vinci vult sæpe suorum,
O pulcrum, & insolens genus victoriæ.
Christe veni, mecumq; pio luctare duello:
O & tuas sic admoue mihi manus:
Per te quò vincam fidei virtute potentis:
Tuiq; victor, te triumphem iudice.

Venter

112a
gel.

X.

Venter Deus.

Ad Eliam Reusnerum Germanum.

CRine ruber, studiosus agri, cædisq; ferinæ:
Infidus fratri, terribilisq; patri:
Ingenij, mentisq; ferox; violentus Esauus
Pulmento vendit sacra, Deumq; leui.
Heu mihi, quàm multis in solo caussa palato
Fit vitæ: quibus est venter, & olla Deus.

Spero,

XI.

Spero, dum spiro.

Ad Joan. Sebastianum Pfauserum Con. Cæsareum.

QVæ non Isacides mala fert luctator? in orbe
Exul, seruus, egens, anxius, orbus, inops:
Mille malis afflictus, ab omni parte laborat:
Præstò tamen Deus est, fertq; benignus opem.
Nil desperandum, Christo duce, & auspice Christo:
Spes bona dat vires, mœstaq; corda leuat.
Sic tu, magne Dei præco, dum sancta tueris
Fortiter inuicto pectore verba Dei:

Sperando

Sperando vincis: ſpes, & victoria ſummi
Certa tibi pendet de bonitate Dei.
Arma tibi præſtat verbi diuina poteſtas:
Deïcit hæc ſubito ferrea corda metu.
Mundus vt inuidia rumpatur: vt arduus æther
Corruat: vt frangat ſe Stygis atra palus:
Spes tibi dat vires: fortem patientia reddit:
Quæ firmant animos in mala cuncta tuos.
Diſce Deo, quicunq; ſapis confidere ſoli:
Qui, quæ ferre iubet, pondera ferre facit.

XII.

Forma illex amoris.

Ad Joan. Jacobum Hainzelium Patr. Augustanum.

MAgna pudicitiæ lis est cum diuite forma:
Illa tuum crimen, culpaq́, Dina, fuit.
Sic tibi vim raptæ Sichæmius attulit heros:
Hæc est venturi prima sauilla mali.
Forma placet, si mens comes est pia, castaq́, vita:
Sin minus: haud numen, sed graue crimen habet.

Vincit

316a
X

Vivit post funera virtus

90

Johannes a Leubelfingen Hauzen
Hom Salem et Tœpfz

III.

Vincit, qui patitur.

Ad Joan. Ludouicum Hainzelium Aug. Augustanum.

QVem cœlo tollit patientia, vitaq; casta:
Sancta fide pietas, & pietate fides:
Carcere, seruitioq; Iosephus liber; honore
Inclytus, Aegyptum duxq;, patergq; regit.
Qui patitur, vincit: patientia sola triumphat
Magnificè: si vis vincere, disce pati.

XIV.

Manet immutabile fatum.

Ad P. Melissum Schedium.

IMmutabile quod manere fatum;
Et quod fixa semel Dei voluntas
Mutari solet haud minis malorum,
Aut diris hominum, dolisq; cæcis:
Præsagum docet hoc, Iosephe, veri;
Sortis munera somnium beatæ.
Spondens: quum tibi mergites in agro
Vndenas: totidem vides in æthra

Stellas

Sustinet humanam stirpem stirps dia: ligata
Fœdere cui sancto tempus in omne manet.
Semper hic est, & semper erit dux sponte piorum:
Felix, qui tecto sic videt ore Deum.
Ignis edax Deus est: procul hinc procul esto profanus:
Qui se oculis numen posse videre putat.
Nam neq; se tangi patitur, neq; lumine cerni:
Qui fida credi vult sibi mente Deus.

XVI.

Secum feret omnia mortis.



Ad Balthasarem Neandrum.

Dum

DVm cadit igniuomis gens morsa Ebræa colubris
Plurima: cœlestes fortè perosa cibos:
Fert Moses pia vota Deo: colubrumq; trabali
Arbore suspensum cernere quenq; monet.
Continuò læsis redit in præcordia virtus:
Et vigor, & vitæ certa medela nouæ.
Fallor? an hic serpens es aheneus, in cruce quondam
Pro noxa fixus, Christe benigne, mea?
Tu me lethiferi serpentis morsibus ictum,
Aspectu sanas, viuificasq; tuo.
Da fidei quoq; te contempler lumine Christe:
Tu lux es vitæ, spesq;, salusq; meæ.

Victrix

Sparta.

Quæ cessa à vobis minuet ds pacesset:
Major hoc vobis dominus minatur.
Quæ sub regno gratiæ regnum est.

Cives ærop.

In sui memoriam adscripsit
Nicobrugi Palatinorum, Cal.
Decembr. Ao. M D C II.

Georgius Cæsar

XVII.

Victrix fortunæ patientia.

Ad Bonaventuram Roslerum.

NOn opibus mentes hominum, curæq; leuantur:
Euertit magnas sors quoq; tristis opes.
Aurea sollicitas vincit patientia curas:
Solius immenso fulta fauore Dei.
Exemplum quæris? pietatis cultor, & æqui,
Dum fruitur partis Iobus, ouatq; bonis:
Perdit opes, natos, pecudes, contemptus, & æger:
Constanti superat sed mala tanta fide.

Felix, qui magnos superat virtute labores;
Auxilio fretus, præsidioq; Dei.

XIIX.

Vindice fato.

Ad Martinum Thaburnum Phil. & Theol.

IMbellis Dauid Goliadi cæde furentis
Membra, breui funda, prodigiosa ferit.
Quò Sathanam superes victor, sæuosq; tyranuos:
Non opus est conto, non opus ense fero:
Sufficit, & casus pietas perdurat in omnes:
Arma, quæ constans, & sine labe fides.

Plus

Plus Dominus verbo, quàm vi valet efferus hostis:
Si cœlestis adest gratia præstò, sat est.

XIX.

Forti fortior alter.

Ad Georgium Helmericum.

DVm leo vestigat prædam, siluasq; fatigat
Cursibus, & montes terret, agrosq; ferus:
Fertur in hunc Simson: & magno concitus æstro
Sternit humi, cæsum tam violente manu:
Sicq; Palæstina gaudens vxore potitur:
Et mel de cæso dulce leone rapit.

Simſon eſt Chriſtus: Sathanas Leo: fortis vterq́,
Ceu leo magnanimus: fortis at ille magis.
Prædæ inhians hominum Sathanas dum territat orbem:
Fuſus humi, Chriſti voce, manuq́ cadit.
Coniuge ſic potitur coniux Eccleſia Chriſto:
Nectare quam paſcit victor, & ambroſia.

ALIVD.

Morte ſua Simſon dux portas frangit, & hoſtes:
At Chriſtus frangit Tartara morte ſua.

XX.

Quà proceres abiêre pij.

In Sadducæum.

Quid

226 a



Quid dubitas, homines defunctos tempora lucis,
In vitam rursus posse redire nouam?
Si Deus est, Deus est viuorum: mortua turba
An laudare Deum, muta silensq́, potest?
Sic Enochus cœlo viuit, viuitq́ beatus
Elias: cœlum viuus vtergs subit.

XXI.

Sex mundi Chiliades.

Ad Joan. Baptistam Hainzelium, Patr. & Septemuirum Augustanum.

Sex mille mundi annos prædixit Elias:
Ter maximus vates Dei.

Bis mille sunt anni, vacuum: bis mille, Lex:
Bis mille, tempus Gratiæ.
Primum suo recessu millenarium,
Deo placens, expers necis,
Claudit, per arduum sublatus æthera,
Sapientiæ dux Enochus.
Fidus secundum iustitiæ præco Nohas:
Mundi vtriusq; & incola.
It Elias cælo vates, sub tertium
Aeuum, quadrigis igneis.
Quarto sed æuo, viuus in cælum redit
Mortis triumphator Deus:
Ad dexteram nunc proximus sedens Patris:
Princeps futuri seculi:
Quem cœlitûm radiantem honore mox nouo
Speramus adfore iudicem:
Cœlos nouos, terras creaturum nouas:
Pijs daturum præmia,
Pœnas malis: quorum Deus quinto ferox
Regnare cœpit seculo:
Trux Antichristus; hostis & Dei, & Deum
Pura colentium fide:
Forti domandus cœlitûm rursus manu,
Sexto malignus seculo.
Donec nouo imperans beatis seculo,
Sit omnia in omnibus DEVS.

XXII.

Quatuor mundi summa imperia.

Ad Modestinum Pistorium Jurisconsultum.

QVam videt in somnis statuam Babylonius heros:
Quattuor hæc mundi regna futura monet.
Argento pectus, caput auro, venter aheno,
Crura micant ferro, plantaq; mixta luto est.
Persarum argentum, Chaldæum scilicet aurum,
Aes Graiûm, ferrum Romula regna notat:
Ferrea pars plantæ, Mahometi regna potentis:
Cætera significat fictile regna lutum.

Fallor?

Fallor? an hæc lapis, absq; manu, de monte volutus
Comminuet celsa rector ab arce Deus?
Imperium sine fine pijs cœleste daturus:
Cui liceat regi plaudere ritè nouo.

XXIII.

Symbola quatuor Monarchiarum, ex Daniele.

Ad Leonhardum Badehornum Jurisconsultum.

QVattuor in somnis sub imagine regna ferarum
Assyrio Daniel vidit in orbe pius.

Prima

Prima Leo, geminis alis, & corde refulgens
Humano, pedibus ſtat fera nixa ſuis:
Aſſyrios ſignans reges, primosq; Monarchas:
Quos Babylon, & quos Media clara tulit:
Quos inter Nabuchodonoſor clariſsimus vnus,
Imbuitur vera cognitione Dei.
Altera tergeminis armata eſt dentibus Vrſa
Beſtia; quæ Perſis aſsimilata fuit:
Tres dentes, totidem reges, cum Xerxe, Darium,
Et Cyrum, regni robora magna notant.
Pardalis Argolicos ſignat fera tertia reges:
Quattuor alarum quæ, capitumq; fuit.
Quattuor in reges regnum diſcerpitur vnum:
Quum citò perdomito victor in orbe iacet.
Quarta refert ſceptrum Romani beſtia regni:
Dira cui facies, & truculenta nimis:
Ferratos iactat dentes, & cornua dena:
Et paruum cornu fronte minace latet:
Os, oculosq; gerens hominis: tria magna reuellens
Cornua: cœlitibus bella nefanda facit.
Si neſcis, totidem veterum ſunt regna Quiritum:
Sed cornu paruum te, Mahomete, refert:
Impius, & magni cum Dijs contemptor Olympi,
Aduerſus ſummum qui capis arma Deum.
Florentes Aſiæ populos, vrbesq; Pelaſgas,
Et Memphim ſubigis, palmiferamq; Pharon:

Cætera regna suis parent dominata tyrannis:
Sola, caput rerum, Teutonis ora manet:
Septem clara viris, toti quæ præsidet orbi:
Cæsaris & sedes, imperijq; domus.
Quid restat? finis regni certissimus instat:
Nam reparat mundo secula sancta Deus.

XXIV.

Mundi Imperia, Ecclesiæ hospitia.

Ad Vuolfgangum Meurerum Medicum & Philosophum.

CVlta Dei palmis, ramis felicibus Arbor
Surgit: in immensum viribus aucta suis:

Mole

Mole sua stans celsa, & vertice nubibus æqua:
Immenso ramos pandit in orbe suos.
Sufficit irriguam cunctis animalibus vmbram:
Et brutis victum dat, populisq; bonum:
Alituumq; choro sedem virgulta ministrant:
Luxuriatq; suis fructibus omne solum.
Scilicet hanc olim vidit per somnia Cæsar
Assyrius: verum somnia sæpe monent.
Sortitur rex sceptra Deûm supremus in orbe:
Regna viris, armis instruit vsq; viros.
Nobilis hæc arbor, mundi sunt regna potentis:
Suffugium brutis dans, hominiq; suum.
Namq; sub hac vmbram captans Ecclesia lætam:
Semper habet tutos, fessa labore, lares.
Inde cibus pecori suus est, hominiq;: beata
Pace sub hac cunctis fas, requieq; frui.
Salue arbor, plantata Deo: floreq; per omne
Æeuum, perpetuis inuiolata comis.

XVV.

Donec totum impleat orbem.

Ad Georgium Calaminum Silesium.

BEstia quid sibi vult quadruplex, & rota? mundi
Quadrifidum per se quæ replet omne latus?
Quadrifidum per se, sine ductu, peruolat orbem,
Vox Euangelij, cœlitus acta, sacri:
Quattuor auctores cui dant sua nomina: signat
Quos Aquila altiuolans, Taurus, Homo, atq; Leo.
Quod sit homo Christus, quod sit Deus; vnus & alter:
Quod doctor, reliqui, sacrificusq;, docent.

Princi-

8340
Rel

XXVI.

Principium, & finis.

Ad Christum.

Labentem tacitè quod claudit, & incipit annum
Mense suo; Ianus fingitur esse biceps:
Ah valeant figmenta: sator tu Christe dierum,
Annorumq; mihi maximus unus eris.
Principium tu das anni, finemq; beato
Ortu: te primum publica vota canunt.
Luce bona hora verba sonent: da, Christe, precamur:
Candidus, & felix vt nouus annus eat.

XXVII.

Monstrant regibus astra viam.

Ad Jesum Christum, Pontificem & Regem Opt. Max.

IEsu, lux mundi, spes, & solatia nostri:
O & salus mortalium.
Quam strenã tibi, Christe, feram? quæ munera reddam,
Voti reus, natalia.
Terna ferunt tibi dona Magi tres: Pontificemq́,
Suum, & Deum, & Regem colunt:
Terna tibi iam dona fero quoq́: Pontificemq́,
Meum, & Deum, & Regem colo.

Aurum,

Aurum, casta Fides: thus est Oratio simplex:
Crux myrrha, lethi nescia.

XXIIX.

Consilio firmata Dei.

In Apellam.

QVid sanctum iactas in corpore fœdus Apella
Fœde tuo? signum fœderis istud erat.
Nascendum signans Abrahæ de semine Christum:
Iam vênit, sancta virgine natus homo.
Fœderis ille noui dux est, & maximus auctor:
Infida fœdas quod malus usq; fide.

Sordibus

Sordibus ablutos culpæ nos fonte salubri,
Copulat vna sacri corporis esca fide.
Qui sapis, hoc fœdus sanctè seruare memento:
Quo læso, superis nemo placere potest.

XXIX.

Non inferiora secutus.

Ad Georgium Vuolfgangum à Vuelluuarth, Eq. Sueuum.

DVm diuina colens in templo sacra, parenti
Morigerus Christus pâret vtrique puer:
Proficit ætate, & sapientis munere mentis:
Ante homines pariter carus, & ante Deum.

Quid

Quid monet hoc, Vuolfgange, rogas? aduerte, docebo:
Te Domini similem sic decet esse tui.
Discere timere Deum: matri parere, patriq;:
Atq; Deus mandat quem patris esse loco.
Discere bonas artes, sanctiq; oracula verbi:
Sis castus vita, moribus vsq; probus:
Sic creseces æuo, sapientia, & arte beatus:
Sic homini carus, sic potes esse Deo.

XXX.

Lux fidei, bona opera.

Ad Joannem Philippum Stibarum Eq. Francum.

NOn est vera fides, quam iactitat ore, malignus
Pectore: non est hæc vera, Philippe, fides:
An Sol esse potest sine lumine? & an dare flammas
Ignis lucentes, absq; calore, potest?
Monte sitam celso quis non, nisi cæculus, vrbem,
Conspicuam castris, turriculisq; videt?
Lampada sub modio quorsum cælare coruscam
Attinet? in tenebris quæ benè monstrat iter.
Lux fidei sunt sancta opera: hac sine luce, beata
Nulla fides: nec sunt sancta opera, absq; fide.

Lex,

2460a
X

XXXI.

Lex, & Euangelium.

Ad Joannem Hessum Theologum.

PEr brumam noctu quod cogit frigida Luna
In glaciem: rursus Sol liquat omne die.
Sic lex si quid dura ligat: mox gratia rursus
Mitigat: & vitæ spem melioris alit.
Fulmine quem legis Moses deturbat ad Orcum:
Filius hunc transfert rursus ad astra Dei.
Semineçem recreat Samarites: mysta relinquit:
Sanat & infuso vino, oleoq; libens.

Sol est iustitiæ, Christus: lex, vmbra: merentem
Lex damnat: Christi gratia sola beat.

XXXII.

ΑΔΙΚΟΝ Ο ΠΛΟΥΤΟΣ.

Ad Carolum Vuolfgangum Rechlingerum, Patr. Augustanum.

O Quàm difficile est, opibus non tradere mores:
Quando solent auro tanta subesse mala.
Non benè conueniunt, nec in vna sede morantur
Sancta fides, & opum luxuriosus amor.

Nec

1420

Mein Hoffnung ist Gott.
15 [illegible] 99

Lazarus Popp von Regenspurg, der Zeit Kellenschreiber, zu Neuburg an der Donau, schreibt dis zu freundlichem gedenckhen seinem guetten Freundt, albrechten Fryaroth Stamm. Den 30 Decembris Anno etc. [illegible]

3422 b
X

Nec facile est, cœli locupletem tangere limen:
Cæcus inutilium quem coquit ardor opum.
Intortúmne in acu vagus vnquàm nauta rudentem
Traÿciet? fieri vix ego posse puto.
Fila minutatim legat impiger, atq; resoluat
Singula: sic per acum fila replicta trahet.
Porta breuis cœli est: quam si penetrare laboras:
Desine opes nimium diues amare tuas:
Desine sarcinulis humeros onerare molestis:
Vtere diuitÿs, ceu decet, vsq; tuis.
Quod superest, largire bonis, & egentibus vltrò:
Quamq; potes, miseris omnibus affer opem.
Sic aptus cœli sedes es adire beatas:
Prælucet pedibus si modò sancta fides.

XXXIII.

Vnus pro multis. Manet insontem grauis exitus.

In Christum crucifixum.

HEu quantus dolor est, mundi pro crimine, mortem
In cruce tam miseram te, bone Christe, pati.
Mors sit vita mihi: crux sit tua sancta voluntas:
Dulce mihi tecum viuere, dulce mori.

TH. P.

Pro seruis dominus moritur: pro sontibus insons:
Pro ægroto medicus, pro grege pastor obit.

Pro

Degenhart Weiss. Altorff

GRAMMATICA

1

Scribebat 20 Xbris. Ao 88

Camerarius ad Philip. Melanch.

Sunt oculos clari cernis, q sidera tangunt
Qua hodie pstant, quos cernit crastina pullis.

Responsio Melanchtonis.

Hunc bruto

Pro populo rex mactatur: pro milite ductor:
Proq; opere ipse apisex: proq; homine ipse Deus.
Quid seruus, sons, ægrotus, quid grex, populusq;,
Quid miles, quid opus, quidue homo soluet? Amet.

XXXIV.

Mors morte pianda.

Ad Victorinum Strigelium.

DVm diuina fugit Ionas mandata per æquor:
Opprimit hunc moti cœlitus ira maris.
Faucibus excipitur ceti: latet abditus aluo:
Donec obit ternas noxq;, diesq; vices.

Redditur

Redditur epotus terræ: sospesq; per vrbes
Iam peragit magni iussa verenda Dei.
Sic Christus patris in terris dum iussa capessit:
Mortem sponte insons, immeritusq; luit.
Conditus obscuræ latet intra viscera terræ:
Dum ter ab Eoo Sol redit orbe nouus.
Tunc iterum victor, spolijs Acheronte receptis,
Cum patribus vitæ tempora lætus agit.
Luci nox, vitæ mors hîc subit: altera donec
Lux noctem excipiat, altera vita necem.

Mors

Soli deo gloria

1611

Johannes Pfeiffer Stolbing.

XXXV.

Spes altera vitæ. Mors ianua vitæ.

Ad Henricum Petræum Herdesianum.

QVis putet? in caueis, Brunæ sub tempus, hirundo
Stertit; & in rimis musca sepulta suis?
Atq; coaxatrix in aquosis rana cauernis:
Sole quibus tepido vita, vigorq; redit.
Sic quoq; funereis requiescunt clausa sepulcris
Mortua sanctorum tempore membra breui.
At surgent iterum, cœlesti rore rigata:
Et sument viuum tunc renouata decus:

Quum feret extremi Sol lumen ab axe diei:
Et tuba cœlesti reddet ab arce sonum.
Fallitur, extingui qui vult cum corpore mentem:
Quæ duo perpetuo fœdere nectit amor.

XXXVI.

Pignora cara sui.

In D. Petrum, Jesu Christi Apostolum.

PAssurum ter, Petre, negas: ter amare fateris
Te Christum vera simplicitate Deum.
Pascis oues Christi sic crimine liber ab omni:
Obsignasq́; fidem sanguine, Petre, tuam:

Omnis ſperanda fortuna
ferendo.

Nulli hic certa quies cunctis crux
una ferenda eſt:
Poſt liceat ſtabili fata quiete frui.

Sub Erhardo Stangio
Theod. Schlabereker.
Scribebat. Joannes
Gruneberus Alſcorinius.
Anno ſalutis humanæ.
1584. Die vero
menſis Octob. 22.

Atq; premens sancti vestigia nota Magistri:
Morte tua constans, in cruce fixus, ouas.

XXXVII.

Merces sublimis honorum.

Ad Stephanum Endorferum Patr. Augustanum.

IVstitiæ, Stephano cum sancto, ferre coronam
Si cupis: & dignè nomen habere tuum:
Sis pius, & soli Christo confidere disce:
Et vitæ sanctæ laude placere Deo.
Disce tuæ fidei rationem reddere. disce
Pro Christi verbo tristia quæq; pati:

Sperne re mortales curas, cœlumq; tueri
Disce: & amare bonos, & tolerare malos.
Si facis hoc, rectè viuis, morerisq; beatè:
Et tibi iam cœli regia magna patet:
Qua Deus in sanctis sua munera sancta coronat:
Sic Stephani meritò nomen, & omen habes.

XXXIIX.

Miles Christianus.

Ad Iacobum Redigerum, Patr. Vratislauiensem.

Galea salutis.

Cingulum veritatis.

Gladius spiritus.

Scutū fidei.

Lorica iustitiæ.

Calciamenta prædicationis Euangelij Pacis.

Gladij sunt 7. omnium maxima vitia, Ignauia, Ira, Gula, Auaritia, Superbia, Luxuria, Inuidia.

Militat

351 a
X

1656

A: P: S. Ætatis
ned ij.



2586

Militat omnis homo, qui dat sua nomina Christo:
Qui pius, & probus est, militat omnis homo.
Sancta Dei qui castra colit: paret arma necesse est
Apta sibi: miles quæ dare nemo potest.
Cœlitùs hæc dabit arma Deus sacra sæpe rogatus:
Si geris hæc, miles iam potes esse bonus.
Sit galea, alma Salus: verbum cœleste, sit ensis:
Sit clypeus fulgens ære, animosa fides:
Adde his iustitiæ loricam: & cingula veri:
Pax Euangelij det tibi calceolos.
Scilicet his hostem vinces animosus in armis:
Si comes est tibi mens conscia, duxq́; fides.

XXXIX.

Speculum hominis peccatoris.

Ad Joan. Henricum Heruuartum, Patr. Augustanum.

SI nescis, quis sis, Homo; me, precor, aspice: noxa
Quem grauat, & læsi iudicis ira Dei.
Aspice, quot gladijs ex omni parte cruentis
Perfodiar: fugiam quò miser, alme Deus?
Cælitus impendet supra caput ensis acutus:
Iustitiæ vindex, criminis vltor atrox.

Me

Peccator Deo, fortior, Veniam require.
Credo, nie Justum, sanguine Christe tuo.

Allein sind die eben betrübten mich:
Gottes gnad aber erfreuet mich.
Ehr Ding sein gleich die Sünd ist,
Ein Armer sünder ich bin jetz
Gott aber ist Barmhertzig.
Dah recht ihne frey bekennen jetz
Dah Andres Christlich glaubt jetz.
Hierauff ihne feste bitten jetz
Gott bitt mir sünder genedig.

Schrifft Langenfeldt M. Joan
Trimmer, Verbi minister ibidt
Anno 84. die 8 Octobris S.

Gott mein Hülffe.

Wilhelm Hofmaister von Regensburg Fürstlicher Pfaltzgreuischer Cantzler verwante zu Narburg an der Thonaw.

den 18 Augusti Anno 1585.

Le decet interdum
Veteris meminisse Sodalis.

Me subter, Stygis atra palus, puteusq; doloris,
Et necis, insinuat mille subinde metus.
Tela tegit puteum, quem fecit aranea putris:
Sustinet hæc sellam, qua requiesco, meam.
A dextra, Sathanas, & Mors: à parte sinistra
Imminet ense mihi Culpa, Caroq; suo.
Mens abit, & morior, quoties mala tanta recordor:
Sic viuo, vitæ nescius ipse meæ.
Me miserum, quis me tantis sine fine periclis
Liberet? hoc solus tu potes, alme Deus.
Et potes, & facis hoc, Deus alme: quid ergo timebo?
Spes vires, animos dat mihi certa fides.

Princi-

XL.

Principis boni imago.

Ad D. Georgium, Principem Lignicij, & Brigæ in Silesia, &c.

QVod monstrum? Draco. quæ nympha? Ecclesia sancta:
Persequitur rabido quam ferus ore Draco.
Cur auro formosa nitet? formosior auro,
Quam colit, est pietas, relligioq; Dei.
Cur gemit, & lacrymat? luget miserabile fatum;
Pro sancta patitur quoa pia virgo fide.

Quis

Quis catafractus eques? virtute Georgius heros
Inclytus, & vera relligione Dei.
Quem petit? infido pugnantem Marte draconem
Impetit: & nympham liberat ense sacram.
Liberat: atq; domum secum cum pace reducit
Victor: & amplexu iam propiore tenet.
Iamq; suos in pace regens, colit arua, colonos
Sedulus: atq; suum nomen, vt omen, amat.
Sic armis decet esse ducem, paciq; paratum:
Pace bonus rex, & dux sit vt ense bonus.

FINIS.

IOHANNIS ORTELII CYGNOCOMAEI MELOS DE EMBLEMATIS N. REVSNERI IC.

ΣΤΡΟΦΗ.

Ἀρεῖαν ὁπλέλληκε νηρίτης
Εἰκόνας θεὸς αὐδέ-
σας καὶ χθονὸς ἐραλεινᾶς ζωοῖσιν.
Κόσμῳ δὲ δημιουργὸς βροτὸν
Πέλε βίβλῳ· ἐν τᾷ γραφαὶ πολύφαμαι
Ἠθῶν. Ἐκάσσατε μεμνῆσθαι ἐφελμέων
Οὗτο βιαζόμεθα.
Αἰχρότης δ' ἀκαμπιέρη-
τῳ ἀκηδεῖν θελαείᾳ
Γράμματα τότε θυσμαθῆ
Ζῶα, καὶ λοιπῶν γενεάς.

ΑΝΤΙΣΤΡΟΦΗ.

Ἀνακῶς ἄρα ἁπλῶσιν ἐπολὰς
Καὶ ζοφίσμασ' ἄδηλα
Κλυτῶ φύσεῳ ἄρεσκοι θυσκόοι.
Τέρψεσι γὰρ καὶ ὠφελῶσιν. Οἱ
Τελέουσιν ἐμβλήμαθ' ἑς πολύεδνον
Κόσμον. Παλαιογόνοι καθάπερ σοφισαὶ
Ἤθελον· Οἱ διδαχὰς
Καλαγραφᾶς ἰσοτυφικᾶς
Ἔθλοσαν· ζώων τε φύσεις
Στέμματα θ' ἡρώων γράφον
Πρὸς θεσπίσματος ἀρετάς

Ἔπωφλος

Ἐπῳδός.

Οὕτω, φρένας ἀφνεὲ Ρ' Ε Υ Τ Σ-
ΝΗΡΕ, πολυκλύτῳ ἑρμηνείαν ἀργὸν
Σύμβαλες κόσμῳ, πεφανὼν ζαθέαν
Κτσμάτων βυλὰν. Ἀ ῥελάς Γ
Η' θέων ὕτω διδαξας
Εὐκλεεῖς· ὡς ἄκριτον,
Εἴ πῃ' ἑρμηνεύς συ κρέοντων
Τᾶς φύσεως, ἀρελάς
Καλεχόσης· ἀπείρων ἢ φύσις
Λώϊον ῥαφθεῖζα φάι-
νῃ Θεῦ λαμπρὸν θέλημα.

3570
t

237 b.

NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII, IC. ET P. C.

STEMMATVM, SIVE ARMORVM GENTILITIORVM LIBRI TRES.

Jeremias Reusnerus Leorinus recensuit.

FRANCOFORTI AD MOENVM ANNO M. D. LXXXI.

258a
X.

AD IOAN. FRIDERICVM, ET IOAN. HENRICVM SCHERTELINOS, A PVRTEBACH, IO. SEBASTIANI FF. SEBASTIANI Eq. aur. NN. optimæ ſpei, atque indolis adoleſcentes:

Jeremiæ Reuſneri Epiſtola.

LIBELLVM hunc de ſtemmatis, ſiue inſignibus gentilitijs clarorum hominum; quem vnà cum Emblematis in publicũ prodire volui; vobis ego potiſſimùm mittendum eſſe duxi, Io. FRIDERICE, & Io. HENRICE: partim ob mirificam indolem animi, ingenijq; veſtri: quæ ſpẽ mihi magnam affert ſummæ probitatis, atq; virtutis: partim ob cõſuetudinem domeſticam, & familiaritatem cotidianã cum fratre meo: cuius ego iſtud quaſi teſtimoniũ, & monimentum ſempiternum exſtare volo. Permagni enim refert puto: eiuſmodi ornamenta honoris, & documẽta nobilitatis, poſteritati propagare: non ſolùm ad me-

ad memoriam laudum domesticarum: verùm etiam ad vsum, atq; imitationem. Quippe quę bellicæ, & togatæ laudis, victoriæq; insignia, & veluti quædã tropæa sunt: & præterea maximarum virtutũ inuitamenta, atq; laborum: quibus alij excitati, confirmatiq; in officio, res magnas gerant, & arduas, hominumq; generi vniuerso salutares. Quod ego inprimis vobis faciendum esse censeo: vt quum ijsdem vtamini insignibus laudis, & monimentis gloriæ, cum maioribus vestris: eorum sapientiæ, industrięq; vestigia sequamini: & cùm aui vestri, Sebastiani Equitis Aurati, virtutem, rerumq; gestarum gloriam studiosè æmulemini: tùm verò patris vestri Ioan. Sebastiani; qui auitam laudem præclarè, fortiterq; tuetur: spem, atq; expectationem, quam semel concitastis; non modò sustinere industria, & probitate: verùm etiam pari virtute, & doctrina superare studeatis. Valete. Viennæ Austriæ. Kal. Sextil. M. D. XXC.

NICO-

260a

NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII, IC. ET P. C.

STEMMATVM, SIVE ARMORVM GENTILITIORVM LIBER PRIMVS.

I.

Aquila D. Maximiliani II. *Cæs. Augusti.*

Nulli præsentior æther.

SVbuolat vt grauibus Iouis armiger altiùs alis:
Atq; ferit pennis sidera celsa suis:
Sic tua te virtus, & gloria nubibus æquat
MAXIME, Cæsarei firma colũna throni.
Tempus erit, quando, cœlesti sede receptus,
Splendidius Luna, Soleq; sidus eris.

Ad in-

II.

Ad insignia D. Rudolphi II. Cæs. Augusti.

Tu decus omne tuis.

SIgna, pares Aquilæ, Romana, & Struthio, & Ibex
Cur armant clypeos, Diue Rudolphe, tuos?
Fallor? an vt volucrum regina trisulca ministrat
Arma Ioui, cœli dum super astra volat:
Sic pius arma Deo Cæsar, sic tela ministrat:
Pro cultu superûm dum pia bella gerit.
Fortibus altiuolans pullos ceu baiulat alis:
Sic humeris Cæsar sustinet orbis onus:
Dum populis pacem defendens, iustitiamq́;
Asserit imperij iura, decusq́; sui:
Pro grege sic promptus mortem, pro lege paciſci:
Si sit opus, vitæ prodigus ipse suæ:
Pro pullis transfixa suis ceu cuspide ferri,
Sponte super nidum Struthio magna perit.
Quæ dum cœlum vno videt, vno lumine terram:
Exemplo regem sic docet herclè suo:
Cultorem pariter diuûm, patriæq́; parentem,
Pro cœlo curam, proq́; solo gerere:
Pendere lance pari causas: ius omnibus æquum
Reddere: ceu pennas vibrat vbiq́; pares

Struthio:

Struthio: quîs galeas rex victor, equosq; coronat:
Symbola militiæ gaudet & esse suæ.
Sic cœlum petitur: Capicornus vt, & Iouis ales
Armiger, in cœlo sidera clara micant.
Sic fauor in terris hominum, sic fama paratur:
Struthio ceu pennis ornat honora caput.
Sic laus virtuti, sic fors datur æqua labori:
Laudatas Pauo ceu tibi monstrat opes:
Qui medio fulgens, cauda tot sidera portat:
Proximus huic stellas quot Capricornus habet:
Quo nullum Cæsar fortunæ credidit olim
Augustus signum certius esse suæ.

III.

De ijsdem

DIALOGVS.

Qvid sibi vult Aquila, expansis quæ iubilat alis?
Splendida Romani Cæsaris arma gerit.
Cur capite est bifido? Romanum signat vtrumq;
Imperium: quod habet Solis vtramq; domum.
Cur alis tot signa tegit? tot regna tuetur:
Ceu pullos alis regia gestat auis.
Quid triplex cassis sibi vult clathrata? triumphos
Cæsareos, partos Marte togaq;, notat.
Quid triplex gemmis fulgens, auroq; corona?
Cum sceptro regem nempe corona decet:
Aurea iustitiam, splendorem argentea, robur
Ferrea, tergemino signat in orbe data.
Struthio quid? regem cœlum, terramq; tueri:
Cultorem esse Dei vult, patrieq; patrem.
Semifer Aegoceros quid? sortem spondet amicam:
Sic olim Augusto, sic dedit arma Ioui.
Pauonis quid cauda? decus virtutis auitum
Signat: cui comes est gloria, laus, & honos.
Trux Aries quid vult? est sacri fœderis index;
Quo colit aurati velleris ordo fidem.
Ceu Iason, socia Colchos cum classe profectus
Aurea Phryxeæ vellera iactat ouis.

IN LEO-

2.64.a

2648

IV.

IN LEONEM PALATINVM.

Ad D. Ludouicum, Principem Elect. Palatinum.

In vtrumq; paratus.

DIALOGVS.

QVid, Leo, quid sic lætus ouas, rex magne ferarum?
Arma Palatinis me dare Principibus
Gaudeo; quos ingens tollit super æthera virtus.
Cur tua fert gladium dextera, læua globum?
Protegit insontes, sontes vlciscitur ensis:
Præsidio tuta est machina tota meo.
Fronte quid insigni radiat gemmata corona?
Aurea victorem nempe corona decet.
Laude Palatini primam meruêre coronam:
Inter Germanos gloria prima duces.

V.

IN RVTAM SAXONICAM.

Ad D. Augustum, Principem, Elect. Saxoniæ.

Te stante virebo.

SErpentes, catosq; fugat, prohibetq; venena
Ruta virens: oculis certa medela malis.
Fœda Venus quos vexat, adulandiq; libido:
Cordati procul hos Principis aula fugat.
Pestis enim regni sunt magna, venenaq; certa:
Quæ prohibent oculos cernere vera ducum.
Adsit Ruta virens, heroum nata coronis:
Splendida Saxonicæ quæ decet arma domus.
Castus amor, verumq; potens, & candor in aula,
Simplicitas prudens regnet, & alma fides.
Scilicet hæc olim casti Bernardus amoris
Symbola Septemuir censuit esse sui:
Vrberedux Veneta, quum Saxona regna capessens,
Mutauit clypeos gentis, & arma suæ.
Salue Ruta potens, longum frondosa per ævum:
Imploretq; tuam vesper, & ortus opem.

Ad in-

VI.

Ad insignia domus Brandeburgicæ.

Precium non vile laborum.

SCeptra, rosas, aquilas, gryphes, bicolore leones
Cum campo, Princeps Marchio signa gerit:
Stemmata virtutis proauitæ splendida. regni
Sceptra potestatem nempe superba notant.
Felix auspicium, volucrum regina, Deûmq;
Præsenti tutas numine spondet opes.
Munificam gryphes mentem, fortemq; leones,
Ac titulos partos Marte, vel arte docent.
Supplicibus faciles campi color albus: at ater
Significat dominos sontibus esse truces.
Sed famæ decus, & regum rosa signat amorem:
Imperij celsum quo meruêre locum.

Ad D.

VII.

Ad D. Albertum, Principem Boiorum Celsa potestatis species.

CLara sit vt regum virtus, & fama priorum:
Quos bellax Latium iactat, quos Græcia victrix:
Herculis antestant Alemanni fortia facta.
Ille Palatinæ dux gentis, & vltimus auctor;
Sanguine magnanimi proauito Tuiſconis ortus;
Flos veterum, virtusq; virûm: laus maxima gentis
Teutonicæ: maiora fide quoq; geſsit: & orbem
Impleuit meritis. viuos, genus acre, leones
Secum habuit comites: ſi quando in bella profectus
Herculeas ſumptis vires oſtenderet armis:
Quum non terga fugæ, ſed apertæ pectora pugnæ
Præberet: metuendum animo, & virtute leonem,
Fortibus & factis imitatus: imagine cuius
Fulgentem ornauit clypeum tandem inclytus auro.
Ergo Palatinæ clypeos Leo gentis auitos
Ornat adhuc; vaſto ſpectabilis oris hiatu,
Arduus, alta petens, veterum geſtamen auorum.

Ad in-

2684

IIX.

Ad insignia domus Palatinæ.

Parcere subiectis.

ARma Palatinæ quid signat splendida gentis
Aureus, in nigro qui fremit orbe, Leo?
Parcere subiectis, & debellare superbos
Nempe docet morum nobilitate duces.
Terror hic est hominum: prosternit corpora tantùm:
Prostratis parcit mitior inde Leo.
Signa ducum tulit hæc olim quoq; dux Agamemnon:
Et Nemeæ cuius concidit ense leo.
Aemulus Alcides Alemannus, & inclytus heros
Propria quæ genti dedicat inde suæ.

IX.

Leo Palatinus.

Ad D. Carolum, Gostaui F. Principem

Finnoniæ, &c. S. P.

Præsidio bonis, terrori malis.

QVæ, Veneris iussu, Charites aulæa superba,
Artifici ferimus, Carole, picta manu:
Accipe: Finnonicæ Dux inclyte gentis: & hæres
Carole Gotthorum rex, Sueonumq; potens.
Aureus iste Leo est: Alemanni nobile munus
Herculis: à quo gens Boia nomen habet:
Quæ modò Rhenani moderatur sceptra Palati:
Scilicet hac coniux est noua gente sata:
Principis illustris Ludouici filia Quinti:
Septem de ducibus quem sua Roma colit.
Magna iuuant magnos: magnum decet esse Leonem:
Qui vult inuicti nomen habere Ducis.
Cur? animo magnus Leo, rex dominusq; ferarum
Quadrupedum: somnis peruigil: vngue minax:
Sponte sua parcit prostratis: dentibus vrget,
Quos videt armata velle nocere manu.
Sic & magnanimum regem, populiq; parentem,
Pro regno fas est peruigilare suo:
Parcere subiectis, & debellare superbos:
Innocuis damnum, vim prohibere bonis.

Talis

Talis erat quondam Leo, cum Patre filius Hyllus
Hercule: cui nomen fecit vtriq; Leo.
Talis Boiorum priſcus Sator, Herculis olim
Aemulus Alcidæ, rex Alemannus erat.
Talis &, Vgrorum terror, Lutholdus, & alter
Arnulphus: Boiæ ſidus vterq; domus.
Talis Septemuir Primus Ludouicus: Othone
Cum Patre, qui Magni nomen, & omen habet.
Talis Rupertus: talis Ludouicus: vterq;
Cæſar, & imperij rexq; paterq; ſacri.
Denig (ne morer exemplis æquantibus ipſos)
Talis auus Sponſæ dux Fridericus erat.
Quæ dum coniugio ſtabili tibi Carole iungis:
Tot tantosq; duces iungis amore pari:
Tot tantosq; duces geniturus, coniuge magna:
Ceu fortis quæ te prole Leæna beet:
Prole beet ſancta, fortiq;, bonaq;: paternum
Quæ geminet morum nobilitate decus
Auguror: augurium firmet Leo fortis Iudæ:
Qui rex eſt regum, dux & in orbe ducum.

X.

Vrsus Finnonicus.

Ad D Annam Mariam D. Ludouici

V. El. Palatini, & Ducis Boiorum F. S. P.

Ette, Sponsa decens, donat Cytherea tapete:
Anna Palatinæ stella Maria domus:
Inter Germanas longè pulcerrima nymphas:
Principe digna viro: principe digna Patre.
Fuluus hic est Vrsus: gladio præsignis acuto:
Finnonici signum nobile nempe Ducis:
Cui par est Sophiæ laus, & par cura Deorum:
Ingenio virtus nec minor, atq; fides.
Felix nupta viro: felix & Principe tanto:
Parrhasius maius quo nihil orbis habet.
At quorsum mihi pondus iners: & bestia turpis,
Munere pro magno, cur datur Vrsus? ais.
Nempe manus lambit placidus, digitosq; suorum
Vrsus: & haud cuiquam dente, vel vngue nocet:
Si tamen est læsus nimium: ruit acer in hostem:
Pectus & ad luctam, grandeq; robur habet.
Sic placidus tuus est princeps, facilisq; bonusq;:
Dum licet, ad pœnas, supplicium q; piger.
Quòd si vi sit opus: non hunc impunè lacessit,
Quamuis immanis viribus, hostis atrox:

Vrsus

272 b

Vrſus erit: belloq́ ferox, & cladibus aſper,
Proteget inuicta ſubdita regna manu:
Proteget & ſanctum veræ pietatis honorem:
Vltor Eliſæi ceu ſenis vrſus erat.
Scilicet eiuſdem eſt (quamuis pugnare videtur)
Sontibus eſſe malum, ſupplicibusq́ bonum.
Talis erat ſanctæ pietatis amator Olaus:
Talis Stenchillus, VValdemarusq́ potens.
Talis Chriſtophorus, Sueonum rex, Boius heros:
Talis Goſtauus: talis Ericus erat:
Hic auus: ille pater Sponſi: rex fortis vterq́:
Et pater, & patriæ miles vterq́ ſuæ.
At tu, de tanto tibi coniuge, Diua Virago,
Sic forma natos ad decus omne duces:
(Ceu format genitrix informes Vrſa catellos)
Per graue virtutis quò gradiantur iter:
Et laudis patriæ memores, & laudis auitæ:
Pace beent populos, diuitijsq́ ſuos.
Euentura precor: votum probat alma Dione:
Fortunantq́ ſacrum Gratia, Paxq́ torum.

XI.

Princeps bonus.

Ad D. Guilielmum, Principem Juliacensem, Cleuensem, & Montensem.

QVàm benè Iuliacæ decorant insignia gentis
Splendida, bucephalus, & canis, atq; leo:
Quæris, cur? canis est princeps bonus, & gregis acer
Custos, ore lupos qui fugat inde feros.
Idem sit leo magnanimus: qui vincere semper
Nouerit; vt victis parcere ritè queat.
Sitq; operum patiens idem, toleransq; laborum:
Quando nihil fertur firmius esse boue.
Si fortis, clemens, vigiles Guilielme: quis apta
Te neget in clypeo signa referre tuo?

Quis

274a

XII.

Quis dicere laudes?

Ad D. Ludouicum, Principem VVirtebergicum, & Teccium.

QVid signent aquilæ, & pisces, & cornua cerui:
Si roger, in clypeo, Dux Ludouice, tuo:
Expediam paucis. Iouis armiger indicat ales,
Signiferum imperij scilicet esse ducem.
Innocuum piscis patriæ, facilemq; parentem
Signat: vt innocuo piscis in amne natat.
Sed ramosa notant viuacis cornua cerui:
Quod viuax virtus sit, pietasq; tua.
Macte animo Ludouice: Dei tibi gratia præstò est:
Qui robur vitæ sit, columenq; tuæ.

APETH

XIII.

ΑΡΕΤΗ ΤΕ, ΚΑΙ ΟΛΒΟΣ.

Ad D. Sigismundum à Landau, Lib. Baronem Austrium, Cæs. Consil.

GEmmantes commetat auis Iunonia pennas;
Longa velut ceruus cornua, vere nouo.
Signat opes Pauo; virtutem, cornua cerui:
Felix, cui virtus splendida firmat opes.
Serpentes abigit cornu suffitus (vt aiunt)
Ceruini: his, post fata, perennat atrox.
Nam dum viuit adhuc, educit naribus angues
Ceruus de latebris, continuoq; necat.
Sic virtutis amans, odit cane peius, & angue,
Et scelus, & vitium, pestiferumq; malum.
Veridicis hominum perpurgans pectora dictis;
Aethereum recto tramite monstrat iter.
Aut hoc, aut melius si quid natura recondit,
Quæ geris, arma Baro te Sigemunde docent.

Sves

XIV.

Spes publica.

Ad D. Marcum Fuggerum, Com. Kirchbergæ, & VVeissehornæ.

PVblica liliolo spes significatur amœno:
Liliolum clypeo sic benè Marce geris.
Namq; pater patriæ es, quo se nunciat at alumno
Vno: Consilio magnus, & arte potens.
Iamq; replet triplicis tua laus confinia mundi:
Cornu quod triplex, Indaq; virgo notat.
Tu decus orbis eris: manibus date lilia plenis:
Dicite iam Musæ: Tu decus orbis eris.
Viue diu, longumq; vale sine fine beatus:
Vtq; facis, Musis, Marce, benignus ades.

XV.

Victrix casta FIDES.

In arma gentilitia D. Ruperti à Stozingen, Cæs. Consiliarij.

DIALOGVS.

QVæ Dea? sancta Fides, summo Ioue nata parente:
Lux animæ: vitæ ianua: mentis honos.
Cærula cur vestis? cœli mihi gratia præstò est:
Cœlo dignus, habet qui sine labe fidem.
Cur nudum pectus? simplex oratio veri:
Et simplex recti cultus, & arte carens.
Cur albæ maculæ? geniali pectora lacte,
Sithoniaq; gero candidiora niue.
Cur alæ geminæ? Christo duce, & auspice Christo,
Subuolat in cœlum cum pietate Fides.
Crux quid fronte nitet? fidei crux est nota sanctæ:
Crux Christi, requies mentibus vna pijs.
Quid vult ista capis? calicem pòtare salutis
Fas est, qui fidei præmia sancta cupit.
Præmia quæ? vitæ cœlestis nempe coronam:
Clarior hæc auro, firmior ære micat.
Quàm benè (Dij) gerit hæc clypeo meus arma Rupertus:
Celsus auis, fama clarus, honore potens:
Clarus at inprimis sancta pietate, fideq;:
Felicem, cœlo quem beat vna fides.

Marte,

XVI.

Marte, vel arte.

Ad D. LaZarum Schuendium, Baronem, & Eq. Auratum:

QVod dux militiæ, patriæ quod, LaZare, vindex
Diceris, & palmis, Martis alumnus, ouas:
Auguror ex armis. sunt hæc vexilla bis octo:
Romani custos ales & imperij.
Per se laus hæc magna quidem: sed maior habetur
Gloria, tot clarum laudibus esse togæ:
Esse pium, doctumq; bonumq;: quod æmulor in te
LaZare. nam pius, & doctus es, atq; bonus.
Sic dux armatæ quum sis, pariterq; togatæ
Militiæ; duplex scuta corona premit.

XVII.

Annis prudentia maior.

Ad D. Antonium Fuggerum, Com. Kirchbergæ, & VVeissehornæ.

QVàm benè fragrat odor longè suauissimus albi
Lilioli: nares quod, cerebrumq; iuuat:
Tam benè fragrat odor Sophiæ, Suadæq; disertæ
Antoni; pectus quæ regit, osq; tuum.
Addit opes virgo, pleno bona Copia cornu:
Buccinat æternum libera Fama decus.
O te felicem, præsenti numine diuûm:
Dij faciant, laus hæc sit tua firma diu.
Prospera sors maneat pariter: nec marcida fiant
Lilia: quæ clypeo nunc geris arma tuo.

2800
X

Ich hoff auf den Al:
ler Höchsten.

Bernhard Englhofer Schneider
den 17 Februarii Anno 1795

M. R. S. B. M. D.



XIIX.

ΑΠΛΑΝΩΣ.

Ad D. Sebastianum Schertelinum, Purtebaci, & Bissingæ Dominum, Eq. aur.

TRux fremit in clypeo viden' vt leo: dextera cuius
Præse fert clauem, lilia læua manus.
Fallor? an hæc tua sunt insignia, magne Sebaste:
Munere Cæsareo quæ sine fraude geris.
Et benè. nam patriæ miles, victorq; superbus,
Fortia ne possint facta latere, caues.
Pectora quum tibi sint animi plenissima magni:
Magnanimus decorat sic benè scuta leo.
Mille quòd in turmas perrumptis victor, honore
Integer: hoc clauis, liliolumq; docet.

XIX.

Pacis, & armorum vigil.

Ad Guilielmum â Rotenhan, Eq. Francum.

QVid notet in clypeo Gallus? quid ſtella? quid vnda
Labilis? vt dicam, me Guilielme rogas.
Vita fugax hominis, ceu labilis effluit vnda:
Quam qui ſine bono claudere ritè cupit:
Plus vigilat ſemper, ſpectans cœleſtia tantùm:
Aſtraq; mente pius concipit, atq; deum.
Si tibi vigilat gallus, ſi ſtella coruſcat:
Quæ fugit inſtar aquæ, non tibi vita perit.

Funi-

Ad hanc mea messis in herba.

2826 a

Clarissimo Viro. Dn. Erhardo
Schnaio in amicitiæ nuper
contractæ, et nunquam in
fermoritura symbolum scri-
bebat M. Michael Vlo. Hart
ll. ss. stud. Neoburgi ad
Danubium. die Aprilis.
Anno 1562.

XX.

Funiculus triplex.

Ad insignia Coloniæ Agrippinæ, vrbis Imperialis.

Qvæ tres ostentat clypeo regina coronas
Tot vrbium Colonia:
Tresne potestates notat, &, quibus eminet ipsa,
Tres dignitates maximas?
Principis vna sacri: magnique secunda senatus;
Academiæque tertia.
Felix vrbs, in qua simul Ars, Sapientia, Virtus
Ciues coronat splendidos.
Funiculus triplex haud rumpitur: inclyta semper
Vrbis corona quò triplex
Fulgeat, & totum radijs illuminet orbem:
Concordiæ nodus facit.

Triceps

XXI.

Triceps Mercurius.

Ad insignia Spiræ, vrbis Nemetûm imperialis.

TRes portæ, totidem turres, tria lumina Spiræ
Vrbis, magistratusq; triplices notant.
Præsulis est vnus sacri: dein Consulis alter:
Cameræq; tertius supremi Iudicis.
Ille sacerdotes socios habet: iste peritos
Iuris: Senatores hic consulit suos.
Curia sic triplex est, & Respublica triplex:
Portas tribus cum turribus tres iactitans.

Firmus

284 a

XXII.

Firmus in infirmis Deus.

Ad insignia Reipublicæ Lauingan æ.

DVm latrocinijs agros infestat, & vrbes
Magnus prædo; Gigas corpore, mente leo:
Solus cum solo, pugna congressus iniqua,
Sutor hic, & ciuis, pulcra Lauinga, tuus:
Victor abit: magna prostrato mole giganti,
Effossis oculis, amputat ense caput.
Officij memor, & virtutis testis auitæ,
Hos vrbi clypeos Cæsar, & arma dedit.
Sic quondam Dauid Goliadum cædefurentem
Missilibus saxis impetit, atq; necat.
Firmus in infirmis Deus est: videri asper vt ore
A cane non magno sæpe tenetur aper.
Sic Iouis armigerum scarabæus prouocat vltrò:
Consilio superans, viribus ipse minor.

NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII, I.C. ET P.C.

STEMMATVM, SIVE ARMORVM GENTILITIORVM LIBER SECVNDVS.

I.

Mentis oculus, prudentia.

Ad Nicolaum Redigerum Præsidem, & gubernatorem Reipub. Vratislauiensis supremum.

Mente sagax, oculisq́, & corpore pulcer, acutùm
Capreolus cernit, lætificatq́ domos.
Sic acie mentis præstans, Redigere, lepore
Sponte iuuas patriam, consilioq́ tuo:
Cuius honoratus dux es, præsesq́ togatus:
Sospite quo simul hæc vrbs quoq́ sospes erit.
Macte animo, rerum felix tutela, salusq́:
Cui par est Sophiæ fama, Deiq́ metus.
Sis felix, viuasq́ diu: clypeoq́ refulgens
Gaudia capreolus det tibi longa tuus.

ΟΥΣΙΑ,

II.

ΟΥΣΙΑ, ΚΑΙ ΝΟΥΣ.

Vincta est sapientia lucro.

Ad Ludouicum Grempium à Freudenstain, Iurisconsultum.

PHœbus, dux vatum: Phœbo sacer ales habetur,
Mæonias celebrans carmine cygnus aquas.
Qui Phœbum, Phœbiq; colit sacra doctus, & artes:
Aurea fert illi munera cygnus ouans.
Sic, quem gestat olor, Grempi, datur annulus, index
Artis, & ingenui pectoris arra tibi.
Nam ceu Musarum purus, Phœbiq; sacerdos;
Sic Themidis simules clarus in arte sacræ.
Fortunate senex; opibusq;, & honoribus auctè:
Si tibi cura mei, sit tibi cura tui.

III.

Iurisconsultus bonus.

Ad Joannem Fichardum Patr. & Iurisconsultum Francofortensem.

IVrisconsulti quæ laus? teres, atq; rotundus
Vt solida constet mente, fideq; sibi:
Cuiq; suum tribuens, det palmam, & præmia rectis:
Offensus prauis: censor & ipse sui:
Iustus propositiq; tenax: à tramite recto
Quem fauor haud moueat, visq;, metusq; procul.
Qualem te multis è millibus esse fatebor
Vnum, pars animæ magna, Fichardе, meæ.
Iustus, & in teipso totus teres, atq; rotundus;
Perpetuò constas mente, fideq; tibi.
Vir bonus, & sapiens, homo fidus, certus amicus:
Et probus, & vera relligione pius.
Iamq; adeò tua fama volat plaudentibus alis:
Atq; premit radijs sidera clara suis.
Arma probant, verum quod dico: triceps leo, duplex
Stella, globus simplex, atq; corona decens.

In eadem

Tu mihi sis Pylades & ero tibi fidus Orestes
Vtmeus esse cupis sic tuus esse volo.

Pio Suo Ernhardo Stungin,
perpetuum amicitiæ pignus.
Exarabat Neapoli ad istum
Fridericus Georgius Schyott
Neapolitanus Norimbergensis
Anno Christo grato 1597. 7. Feb.

Endres Schieffelin diser zeit bey Herren Georgen Rörer Fürstlichen Pfaltzgrewischen
Statt vnnd Cammermeister zu Neuburg an der Donau [illegible] Anno 20 Max.

Lieb mich stets vnd weich nicht ab:
Obzchs schon nicht zuuergelten hab.

1886.

Js 88.

Christianus Dressler hatt diss seinem vertrauten gue-
ten freundt als Briederen Erbandten Staeg zu gueter
gesellschafft geschrieben Actum gen Ochsenfurt zu Neuberg
an der Donaw, Anno vt supra.

In eadem D. Joannis Fichardi insignia,

Philippus Lonicerus.

MAgnanimûm quicunq; vides generosa Leonum
Ora, globum, stellas, aligeramq; Deam,
Contemplare, quid hæc insignia clara Fichardi,
(Munere Diui olim Cæsaris aucta) velint.

Multa quidem Fortuna potest, sed sydera fausta
Accedant: comes & mens generosa, siet.
Sicq; vir esse bonus studeas, teres atq; rotundus,
Vt sis: nam tales fulua corona decet.

IV.

Solamen vitæ Deus.

Ad Gualtherum Drechselium Jurisc. & Cancell. Palatinum.

CEruus amicitiæ Christus (Solomone canente)
Pullusq; Gratiarum
Spiritus est Sanctus: solatia dulcia præbet
Afflictæ vterq; menti.
Sic quoniam Christi semper, flatusq; requiris
Solatium sacrati:
Ac ceruus veluti gelidam desiderat vndam:
Sic tu Deum, Deiq;
Poscis anhelus opem sanctam, veramq; salutem:
Gualthere, dignus es, cui
Cornigeri decoret scutum sub imagine cerui
Fides Deo probata.

Sol

2900

M. V. S. I. C. A.

Ich traw Gott



Johannes Oberlenderus Regione

Fide parum multum q; vide, nam fidere multū
Et vidisse parum, maxima clausula credit

δυναται πολλα γενεσθαι και δοκεῖν πολλὰ
ἀγνοεῖν
οὐ μὴν εἰδέναι γε ἐν ἀνθρώποις ἔστιν ἐπιστήμη.

Ædificare domos et corpora pascere multa
Est ad pauperiem semita recta quidem.

Nunquam intermoritura memoriæ, hæc pietate
virtute ac moribus decorato Adolescenti
Eno Erhardo Strangio amico et com-
mensali suo bene dilecto Nicolaus a Carniola lo-
annes Oberlenderius Varisellæ tum
temporis comit: palat: Sup: q: ticus
curator Aulicus à manen-

V.

Sol iustitiæ, Christus.

Ad Joannem Bonriederum Jurisc on.

Sol, Deus est: homo, Luna, micans de lumine Solis:
Sunt genij, stellæ: numina magna poli.
Luna quid est? cœlum terrestra, aut cœlica terra:
Sic homo pars cœli, pars quota fertur humi.
Si faciem spectes; varium, ac mutabile Luna:
Sic constans hominis non solet esse vigor.
Lucis amans est Luna: homo cognitionis amator;
Quæ lux humanis mentibus esse solet.
Et modò iuncta suo, modò Luna à Sole remota est:
Lumen homo veri sic habet, inde caret.
Quà Phœbum cernit, Phœbe quoq; cernitur ipsa:
Quà retrò videt, hac menstrua parte latet:
Sic homo iustitiæ Solem quum spectat: ab illo
Lumen habet: retrò si videt, hercle perit.
Ergo ne pereat, genios vtrinq; potentes,
Ceu stipatores gaudet adesse sibi:
Nocte velut nigra stellas vtrinq; micantes
Lucis habet comites candida Luna suæ.
Fallor? an hoc te Luna monet tua, Iane: cooptans
Aduersa stellas parte nitere duas.

Animæ

VI.

Animæ vita, optima.

Ad Alexandrum Hunlinum Iurisc. & Consil. Palatinum.

QVod gallum nutris, quod & hunc in cassidè passim
Pingis, Alexander: maxima causa subest.
Pars animi diuina notatur in alite gallo:
Quam pasci fas est nectare, & ambrosia.
Cognitio sunt illa Dei, rerumq; sacrarum:
Sola datur menti quæ medicina piæ.
Sic olim Samius gallum nutrire monebat
Pythagoras: adijt qui quoq; mente deos.
Sic Anyti reus ille, Deo moriturus eundem
Sacrabat: posito corpore, mente valens.

Armat

2920

VII.

Armat ad omnia virtus.

Ad Joan. Henricum Hainzelium, Patr. Augustanum.

QVem clypeo gladium ostentas, Henrice, rubentem:
Auguror, hic animi vim notat herclè tui.
Ipsa quidem virtus vis est sibi maxima sola:
Plus valet hæc gladio; plus valet ense fero.
Perpetuò sibi constat, & ARMAT AD OMNIA VIR-
Qui vibrat hunc gladium sic benè, victor abit. (TVS:
Talem victorem, talem te pancrasiasten
Laudo: quem virtus armat ad omne malum.
Macte animi virtute noua, Patris æmule magni
Hainzeli: benè sic, pancraticè, vale.

De ijsdem insignibus.

P. MELISSVS.

ARMA tuæ gentis gladius: sed dextera robur
ADdit: & hunc animi dexteritate geris.
OMNIA sic superas, Henrice. nec occubat vnquàm
VIRTVS. ô pugilis nobile pancratium.

IIX.

Iudex ΑΔΩΡΟΔΟΚΗΤΟΣ.

Ad Hauboldum Flottacherum, Cos. Ratisponensem.

IVdicis est virtus, manibus benè viuere puris:
Sic & auaritiæ ponere frena suæ:
Nec precio, precibúsue, nec vlli cedere dono:
Sincerum semper pectore, mente grauem.
Sic manibus truncis statuas pinxêre regentûm
Thebani: malè quòd iudicis arca patet.
Nec benè corruptus iudex examinat æquum:
Nec benè iustitiæ seruit auara manus.
Sic tu iustitiæ præses, princepsq; Senatus,
Deligis officio congrua signa tuo.
Cana viri facies, prudentem: brachia trunca
Te iustum monstrant scilicet esse virum.
At rosa communem plebis, patrumq; fauorem,
Atq; potestatis signa corona notat.

Studijs

IX.

Studijs certamina crescunt.

Ad Ioannem Reymannum Iurisc on. & Cancell. Episc. Vratislauiensis.

FEssus anhelando calidos suspirat ob æstus,
Hinnulus irriguas, dum sitis vrget, aquas.
Et syluæ, pariterq; domus decus hinnulus ingens:
Cornicis superans secula longa quater.
O quoties video te suspirare, labores
Ob magnos: florens quos parit aula tibi.
Multa quidem princeps, nil non tibi patria debet:
Officij ne sit gratia surda tui.
In te cura omnis quando inclinata recumbit:
Vt nequeat numerus casibus esse tuis.
Solamen fesso tibi sit, curæq; leuamen
Ipse Deus: sis vt saluus in orbe diu:
Et florens opibus iustis, & honoribus auctus,
Capreoli viuas secula longa tui.

X.

Virtutis fortuna comes.

Ad Danielem Princium, Consil. Cæsaris.

DIALOGVS.

Quid tibi cum Mosco, cum telo duplice, Princi,
Cum trabe, qua triplex aurea stella micat?
Moscica legatum dum bis me visere regna
Cæsar, & immensas mandat obire vias:
Me iaculum, iaculoq́; animus præstantior omni
Dijs æquis, reducem per mala mille facit.
Factorum testis quintuplex penna meorum:
Quæq́; super galea fixa corona nitet.
Stella triplex, clarum famæ decus, aurea: rectum
Præradians cœlo gloria signat iter.

AD EVNDEM.

Illustrem virtute notat te stellula triplex,
Princi: sed fortem mente, sagitta duplex.

In labo-

246 a
Fol.

2966

XI.

In labore fructus.

Ad Joannem Sambucum, Cæsaris Historicum.

GRus aurum geminus rostro, simul vngue lapillum
Sustinet. hem quid vult hoc sibi, Phœbe mone.
Grus vigil est: comites vigiles amat impiger idem:
Musarum comites sic vigilare decet:
Quos veluti ligat vna fides: sic debita merces
Pro studijs, & laus debita cuiq; venit.
Suaue rubent, redolentq; rosæ; sed suauior artis,
Ingenij, fidei germine fragrat odor.
Quàm benè Sambucus gerit hæc insignia vates:
Quem labor, & parilis splendor vbiq; beat.

De ijsdem.

HADR. IVNIVS.

Cor pedibus iunctis, rostris concordibus aurum
Naupliadæ prendunt, munera sancta, grues.
Gloria debetur studijs, atq; assecla merces.
Concordesq; animos candor vbiq; decet.

XII.

In Deo lætitia.

Ad Paulum Fabricium Medicum, Cæs. Mathematicum.

QVid iactas aquilam clypeo, plaudentibus alis
Cum puero, Fabrici, quæ super astra volat?
Consilium, mentemq; Dei sic suauior alti:
Suauius in terris vt nihil esse putem.
Quod puer hic nudus notat, & Iouis ales aduncus:
Læta Deo, mens est alite rapta Deo.

Viui-

XIII.

Viuituringenio.

Ad Hieronimum VVolfium V. C.

FRaus in te quum nulla sit, aut vis improba, VVolfi;
Quæro, tibi sæuus cur dedit arma lupus?
Fallor? an obscura lupus vt videt omnia nocte:
Et superat visu cætera bruta suo:
Sic acie mentis peneirans terramq́, polumq́;
Omnigena doctos vincis in arte viros.
Quid? quod Apollo, Lupæ Latonæ filius, olim
Sacrauit Delphis hæc simulacra suis?
Et te Phœbus amat, vatum Deus: & tua pridem
Aeternæ famæ nomina magna sacrat.

MHΔEN

XIV.

ΜΗΔΕΝ ΑΝΑΒΑΛΛΟΜΕΝΟΣ.

Ad Joannem Posthium M. & P.L.

CVnctator cauet esse piger, qui vult sine damno
Immensas subitò peruolitare vias.
Qui cupit optatam studijs contingere metam:
Cunctator caueat non secùs esse piger.
Præsertim Phœbi iuga qui vult scandere celsa:
Pegaseo properet, si licet, vsus equo.
Cunctantes Mars odit, Apollóq́: magna gerendi
Præcipita tempus; magnus vt esse queas.
Nam mora damnosa est: totis incumbere membris,
Et decet admisso subdere calcar equo.
Sic, NIL DISTVLERIS, *inquit tuus ecce veredus,*
Posthi; Pieria qui petit astra via.
Iamq́; tibi Phœbus, cum Musis, obuius vltrò
Pocula Castalia plena ministrat aqua.
Et tua iam cingit Parnasside tempora lauro:
Et metæ signum buccina læta canit.

ALIVD.

Pegaseo, Posthi, superas Helicona volatu:
Quem geris in clypeo, quod docet acer eques.

Dignum

350 a

1583
ÆTAT
SVÆ
XXVII
V·D·G·I·A·N
David Brentill Maler
zu Laufingen

XV.

Dignum laude virum Musa vetat mori.

Ad Paulum Melissum Schedium, P. L.

Quòd tibi sint Cygnea mele, Musæaq; mella:
Lilia cum cygno signa, Melisse, geris.

Aliud.

Λειριόεν σὺ Μέλισσε χέων μέλος, ἆσμα κυκνεῖον:
Λείρια σὺν κύκνῳ γὰρ ἐπίσημα φέρεις.

Prudens

XVI.

Prudens facundia.

Ad Nicodemum Frischlinum P. L.

Mercurij gemino implicitus caduceus angue,
Stemmata Frischlino dat satis apta meo.
Symbolon eloquij, caduceus: anguis vtring,
Serpens, ingenij sit, Sophiæq; nota.
Scilicet eloquio sapientia iuncta potenti,
Cuncta regit: cœlum quæ tenet, atq; solum.
Prævalet hæc opibus regum, clarisq; triumphis:
Et si quid magnus ca[illegible] orbis habet.
Sic quoniam prudens i[illegible]ndia regnat:
Stemmata Frischl[illegible]us [illegible]atis apta meus.

Iustus

312 a
X

XVII.

Iustus confidens leo.

EX PROVERB. CAP. XXVIII.

Ad Joannem Lauterbachium P.L.

QVàm dispar aquilæ columba; quamq;
Dorcas est rigido fugax leoni:
Tam iusto quoq; dissidet, pioq;
Iniustus vir, & impius: pauer
Assuetus folij sono cadentis.
Quando spem retinet, fidemq; firmam
Iustus, magnanimi leonis instar:
Seu fortuna maligna, seu benigna est.
Sic ex vngue leo tuus vel vno
Fortis noscitur: acre robur illud
Magni pectoris indicans apertè:
Quo notum decet esse Christianum.

XIIX.

Ipse faciet.

EX PSAL. XXXVII.

Ad Jacobum Monauium, Patr. Vratislauiensem.

QVàm benè te, vitamq; tuam, sortemq; Iehouæ
Committis magno solius arbitrio.
Ipse facit, faciatq; precor, IACOBE: beatus
Semper vt ex voto, quod geris, omne geras.
Facta tibi confecta puta, quæ mente cupisti:
Si cœlestis adest gratia præstò, sat est.
Scilicet hoc te signa monent: tria cornua Lunæ:
Quæ Phœbi splendent irradiata comis.
Sol est iustitiæ Deus vnus in orbe: perennis
Splendorem lucis qui capit, inde capit.

AD EVNDEM.

P. MELISSVS.

Vmbra mare est, tenebræ tellus, est nigror Olympus:
Sidere ni quodam reddita clara nitent.
Nulla sed in terra fas quærere, nulla profundo
Lumina: de Phœbi lux micat illa comis.
Vna Diana suos de nocte reciproca lucens
Fert radiosq; solo, fert radiosq; salo.

Tres

364a

Tres igitur quorsus? pelagi notat altera noctem:
Altera telluris: tertia Luna poli.
Mentibus arrectis triplici è caligine mundi
Ad Solem tendas, cornua trina monent.
Christus erit Sol verus: vbi Sol iste, Monaui,
Fulserit: eclipsis nulla timenda venit.

XIX.

Virtutes præmijs decorantur.

Ad Adolphum Occonem, Reip. Augustanæ Med. III.

Stelliferum mea gens clypeo fulgente leonem;
Stirps aquilam passam gestat, Adolphe, tua.
Quadrupedum leo rex, aquila est regina volucrum:
Ille sacer Soli fertur, at ista Ioui.
Ingenium notat hæc, pectus cœleste sed ille:
Grande viri decus, & munus vtrumq; Dei est.
Sic ad virtutem, sic itur ad astra: leonem
Si mihi, sicq; aquilam sit tibi cura sequi.
Pectus vt ingenio, simul vt par fiat vtriq;
Virtus: nec careant viribus illa suis.
Sic animos aquila in cœlum secum ardua raptans;
Cœtibus hos infert, concilijsq; deum.

XX.

Virtus est, vitium fugere.

Ad Cunradum Albinum, Patr. Francofortensem.

CAndor dulcis, odor suauis, vis grata rosarum,
Quæ fulgent clypeo versicolore, trium.
Candorem mentis, mel linguæ, gentis amorem,
VVeisi, quæ Charitum dat trias alma, notant.
Ergo domas claua vitium priùs Herculis omne:
Monstret vt ad cœlum mox Iouis ales iter.

AD EVNDEM.

P. MELISSVS.

Stirps tua tres, Albine, rosas, mea gens tria gestat
Lilia: vos aquilam fertis, at ipse cygnum.
Rex olor inter aues, aquila est regina: rosisq́,
Liliolisq́, nihil pulcrius extat humo.
Ales vestra Ioui, Phœbo sacer est meus ales:
Et Cytherea rosas, lilia Chloris amat.
Ergo tibi dum suauè rosæ, mihi lilia florent:
Et Phœbo par est, & Ioue digna cani.
Sic vtriusq́ animus volucres imitante volatu
Raptus ab humano tendat in astra solo.

Anima

XXI.

Anima moriemur in vna.

Ad Joachimum Camerarium V. Cl.

Sancta fides est cornicum, concordia sancta:
Quîs natura dedit viuere secla nouem.
Si moritur coniux, viduam trahit altera vitam,
Ceu turtur; sociæ fata gemendo suæ.
O fidei exemplum raræ. sic nempe maritæ
Fata gemis viduus nunc, Ioachime, tuæ:
Quam tibi sancta fides, concordia sancta tot annis
Iunxerat, & sancto fœdere castus hymen.
O te secla trium cornicum viuere fas sit:
Stemmata quæ priscæ nobilitatis habes.

XXII.

ΘΙΣΤΕΟΝ, ΚΑΙ ΕΛΠΙΣΤΕΟΝ.

Ad Martinum Rulandum Medicum.

PReßit adhuc infans geminos Tirynthius angues;
Præluſit hydræ quo ferè
Magnanimus domitor, Ioue dignus, amabilis heros.
Sic Chriſtus alter Hercules
Ille ſalutaris, veteris fera contudit hydræ
Victore colla ſub pede:
Quam gemina preſſare manu, quam vincere fas eſt
Chriſti ſequentes hîc ducis
Signa ſui: quibus emeritis, cæloq; receptis
Laurus triumphalis datur.
O quàm magna docet clypei tam parua figura,
Rulande, quem geſtas, tui.

Domat

308 a

XXIII.

Domat omnia virtus.

Ad Andream Reußium IC. Reipub. Vratislau. à Secretis.

QVòd Ruſsi tibi forma placet crudelis in armis;
Claua dextra nitet cuius, & enſe latus:
An, præter nomen, REVSSI, vis omen ineſſe;
Crudelis dextra ſis vt, & enſe ferus?
Erro equidem. nam te nihil eſt humanius ipſo:
Barbaries morum nec tibi fœda placet.
Mite tibi dedit ingenium natura creatrix:
Mollit & ars mores, nec ſinit eſſe feros.
Sarmata cur igitur gladio, clauaq; minatur
Barbarus? arma tibi contulit illa Themis.
Eloquij gladius, virtutis claua putatur
Symbolon: ingenium poſsidet illa tuum.

NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII, IC. ET P. C.

STEMMATVM, SIVE ARMORVM GENTILITIORVM LIBER TERTIVS.

I.

Viue diu, sed viue Deo.

Ad Stephanum Endorferum, Patr. Augustanum.

QVem pingis clypeo, Capricornus porta deorum est:
Si verum memorat melleus ille Plato.
Per quam corporeis mens vinclis libera, sursum
Euolat; & cœli templa beata petit.
Felices animæ, quibus huc contingit adire:
Qua diuûm coràm corpora vera vident.
Non Venus aut luxus, non has damnosa voluptas,
Nec leuis ambitio flexit, opúmue sitis.
Sed pietas, virtusq; Deo sic viuere iussit:
Quò liceat cœlo viuere teste diu.
Illa deûm sedes: hæc illis proxima; mente
Qui viuunt similes, ingenioq; deûm.

II.

Fax gloria mentis honestæ.

Ad Joannem Christophorum Lucium, Consil. VVirtebergicum.

GRatia magna rosæ, mens est generosa leoni:
Imperat hæc brutis; floribus illa suis.
Sic virtute tua, Luci, sic mentis honore
Par es tot summis, quos fouet aula, viris.
Nam mens vt generosa tibi; sic gratia morum,
Et linguæ, laudem conciliare potest.
Sic decorat meritò clypeum leo fortis, & ala
Cum duplici duplex, quæ subit astra, rosa.
Sit tibi perpetuò viuax leo: viuida, Luci
Sit rosa: dum cœlo te quoq; fama beet.

III.

Immortalis labore parta gloria.

Ad Melchiorem Jægerum Consil. Secret. VVirteberg.

VEnatrix laudis, virtus: venator honoris
Est labor: ad cœlum monstrat vterq; viam.
Sic laudem virtute, labore mereris honorem
Melchior, ô gentis fama, decusq; tuæ.
Scilicet hoc laudis cornu docet, atq; laboris
Symbolon: in scuto quod tibi signa dedit.
Hinc te dux Ludouicus amat VVirtbergicus heros:
Qui tibi dat mentis nosse secreta suæ.
Consilio patriæ venator adesse paratus;
Aeternæ meritò præmia laudis habet.

Miran-

312-a
X



...ilhelmus Faber Kayserl...

IV.

Mirandum naturæ opus.

Ad Michaelem VVeihemaierum Jurisconsultum.

Qvi mandit fœdum tabo stillante cadauer,
Vultur edax, genti cur dedit arma tuæ?
An quòd sit volucrum iustissima? parcere viuis,
Nec fructus, nec aues lædere sueta vagas.
An quòd præsagit, sapiens, ac prouidus ales?
Vnde Hieroglyphicon Palladis esse solet.
An quòd confectum senio, morboq; parentem
Vultur alit Libycus, caluitioq; glabrum?
An quòd amat tantum natos; vt sanguine pascat:
Ipse suum quando vellicat ore femur?
An quòd centenis vt vultur victitat annis.
Sic vitæ maneat vos quoq; longa dies?
An potiùs, vento ceu vultur concipit: Alma
Fœta Deum flatu, sic parit, absq; mare?
Quicquid id est, sat magna quidem mysteria vultur
Naturæ, morum, relligionis habet.

V.

Fons inuocantis.

Ad Abrahamum Mannam, Antistitem Lauinganum.

CErnis, vt ora manu Simſon premit ampla leonis
In clypeo: natum mel leuat vnde famem.
Magnanimus galea victor ſedet: vnus aſellæ
Qui mala cedit mille repentè viros.
Fiſſus & huic malæ fontanam præbet aquam dens:
Pellitur vnde ſitis, mens redit vnde viro.
Fallor? an eſt Simſon Chriſti victoris imago:
Iuſtitiæ Solem quem pia turba colit.
Maxilla vatum dux Chriſtus, & ore triumphat
Sacrorum: purè qui ſacra verba docent.
Fons oritur ſacer hinc, Eccleſia ſancta: piorum
Mentibus hinc ægris gratia larga fluit.
Qui bibit ex aſinæ mala, bibit ille ſalutem:
Et mel de forti dulce leone legit.
Quàm benè, Manna, tibi data ſunt hæc ſymbola. namq;
Mel ſimul, & vitæ gutture fundis aquam.

Chriſtus

Et tamen intus alit lactus calor ossa,
Se se ut ut ambiguo tra„ Cmeæ ues
mite sortis habent.

Georgius Frölich Lauingianus
à sanctis Palat: Sæc in Sui pa„
triano posuit, Norburgi ad Ilsum
15 Aprilis Anno Chri 1599.

VI.

Christus lætitia mea.

Ad Cunradum Lætum Juriſc. & Conſil. Palat.

QVid ſic lætus ouat? quid dextra plaudit? & ore
Iubilat in clypeo lauriger ille puer?
Lætitia eſt mea Chriſtus (ais) meus ille redemptor.
Ille meus rex eſt, & Deus ille meus.

Fons

VII.

Fons salutis Christus.

Ad Philippum Hailbrunnerum S. Theol. D.

QVi tibi nomen, & arma dedit de fonte salutis:
Ex re nónne tibi nomen, & arma dedit?
Fons vitæ, Christus: Christus spes vna salutis:
Quem scriptis, & quem voce, Philippe, doces.
O fluat hoc nobis aqua vitæ fonte perennis:
Ampliùs haud vret guttur anhela sitis.

Sic pe-

Soli Deo gloria.

Hæc in sui memoriam pio ad
sceti Erhardo Stangio a
co suo charissimo scribeb
Norimbergæ Anno 59: 2
miarij: Iohannes Casea
Krabel: Reicherzo
sius.

IIX.

Sic petitur cœlum.

Ad Laurentium Drechslerum, Conc. Palatinum.

BIna tribus distincta rosis laquearia, & ala,
Picta super galeam, quid duplicata notat?
Vita, rosa est fragilis: Sathanas laqueare, Caroq́
Duplex: in cœlum nos vehit ala Fides.

* *Solus*

IX.

Solus sapiens diues.

Ad Chilianum Piscatorem Theologum.

VIta quid est hominis? magnum nisi cymba per æquor:
Fluctibus hinc crebris inde repulsa maris.
Impetit hanc Eurus, Boreas, Notus vndiq; sæuus:
Trux & ad hanc Syrtis, Scylla, Charybdis hiat.
Sunt hæc, fraus carnis, mundiq; Tyrannis & orci.
Flebile naufragium quæ tibi sæpe cient.
Felix, arrecta cœlum qui mente tuetur;
Fluctibus è tantis, turbinibusq; maris.
Namq; metu rapidæ liber, Chiliane, procellæ;
In portu, Christo nauigat ille duce.

De ijsdem suis insignibus.

CHILIANVS PISCATOR.

Fortis, & inuictus mundi perrumpo tenebras:
Nec tenuem sortis spem, generisq; moror.
In Christo solidam cordatus pono salutem:
Solus hic est vitæ portus, & aura meæ.
Felix, qui Christo didicit se credere soli:
Huic, melior lauro, dia corona datur.

3180

X.

ΧΕΙΡ ΣΥΝ ΑΘΗΝΑ.

Ad Henricum Porschium V. Cl.

DIc, Hospes; nouus Ismarÿs quis cantor in oris,
Orpheiam docta suscitat arte lyram?
Porsius, Aonidum cultor, doctæq; Mineruæ:
Quem munit Pallas ægide, Phœbus equo.
Gaudet Hebrus, tanto lætatur vate Cayster:
Amnis adhuc memor est cladis vterq; suæ.
Ismariæ cessate nurus vim ferre canenti:
Acer adest vatis Pegasus vltor equus:
Vltrix & Gorgo, quæ vos in saxa repentè
Mutet. nam gerit hæc Porsius arma meus.

XI.

A teneris assuescere multum.

Ad Andream Lopadium, virum optimum.

QVo semel est imbuta, recens seruabit odorem
Testa diu: vetus vt
Verbum habet. hoc verum tam re, quàm nomine reddis,
Ingenioq; tuo.
Quod quum sit primo imbutum solerter ab æuo
Artibus ingenuis:
Spirat adhuc suaues priscæ virtutis odores:
Ingenuumq; decus,
Et vires solidas habet: haud obstante senecta.
Quid? quod & arte bona
Tot iuuenum mentes, ceu testas, imbuis: vnde
Par modò fragrat odor
Ingenij, fidei, doctrinæ. Macte Lopadi
Care, verende senex:
Macte animi, quem rarus habet: tibi spiret amomum
Tam pia testa diu,
Quam geris in clypeo: nec vi, nec casibus vllis
Fracta fatiscat humi.

Ora, &

3206

fiat mutari quod ratione
nequit

FIDE DEO

Jno Erhardo Stangio Str. scr
pit hoc Georgius Etching Lay
ganus ex patria discessurus die
10 Novemb. Anno. 1583

XII.

Ora, & labora.

Ad Carolum Heibergerum, Eq. Austriacum.

MOntes aërÿ duo, sepibus vndiq; cincti:
Et leo, qui pennas vngue pauonis habet:
Carole, quid moneant, rogitas? contingere metam
Optatam studÿs qui cupit, atq; decus:
Multa feret, facietq; puer: Superisq; vocatis,
Promptus erit validas sponte mouere manus.
Vt famam studÿs, & honores nempe reportet:
Inuictum debet pectus habere malis.

XIII.

Spes bona dat vires.

Ad Danielem Austriacum Augustanum.

DVm vivis, sperare licet: sperare sed æqua,
Ac bona: quæ ratio poscere nulla vetet.
Sic sortis spes æqua bonæ, spes æqua salutis:
Magnaq́ sic spes est in bonitate Dei.
Sic mihi certa tuæ spes indolis vsq́ relicta est:
Moribus vt redeas cultus, & arte domum.
Quò meliùs sperem, faciunt tua lilia: certam
Quæ spem virtutis significare solent.
Sed magis hoc sperare iubet tua nota voluntas:
Quæ venit ex merito, spes satis æqua venit.

Hic ra-

XIV.

Hîc ratio tentandi aditus.

EX ESA. CAP. XXII.

Ad Jacobum Cellarium Augustanum.

Qva ratio tentandi aditus sit ad æthera celsum:
Clauiger hoc monstrat nempe, Iacobe, leo.
Si nescis, de stirpe satus LEO Christus Iudæ;
Verus homo, cœli est ianitor, atq; Deus.
Fert humero clauem: referat, nec claudere quisquam:
Et claudit, quisquam nec referare potest.
Felices nimiam, quibus arx patet ardua cœli.
Quam referat Christi crux onerosa nimis.
Crux Christi, clauis cœli est, & ianua vitæ:
Quem qui mente colit simplice, saluus erit.

Memen-

XV.

Memento mori.

Ad Georgium Kirchmaierum Monhæmium.

QVid tibi cum telo, Veneris flos, est Rosa, Martis?
Nempe homines doceo docta: Memento mori.
Cur? rosa, vita breuis. mors, insuperabile telum est:
Mars mortem, vitam procreat alma Venus.
Quid tum? flaccidius rosa, & ocyus haud scio quicquam
Telo: mors venit, & vita repentè fugit.
Post mortem nihil ergo manet? laus, gloria, virtus.
Nam manet & virtus semper, odosq́; rosæ.

Lux

924a

Ecclesiastic. 7. cap.

In omnibus operibus tuis memorare novissima tua: & in aeternum non peccabis.

Georg Kirchmair
scrib. XIIII. Kal. April.
Aō. CIↃ. IↃ. LXXXI.
Lauingæ.

XVI.

Lux mea Deus.

Ad Balthasarem Imbricium Secret. Bipontinum.

STella triplex micat imbricibus super aurea quinq;:
Et geminis alis fertur ad astra leuis.
Lux animæ, mentisq;, animiq;, & cordis, & oris
Sit Deus: in trino numine numen idem.
Seruiat huic anima, os, animus, cor, mensq; fidelis:
Aetherea quæ vult luce beata frui.
Signa docent hoc Imbricij gentilia: sacrat
Quando cor, os, animum, mentem, animamq; Deo.

XVII.

E plumbo fabricat aurum.

Ad Joannem Fabrum Burchamium.

QVid fabricas? animos puerorum. quorsus? vt artes
Ediscant sancta cum pietate bonas.
An fabricas semper, quod vis? non. Mercuriumq́;
E ligno quouis haud fabricare queo.
Præmia quæ fers inde? maligni præmia mundi:
Gaudeo me frustra non fabricare tamen.
Rusticus vt gaudet, ferrata calce reperta:
Sic mihi discipuli mens placet vna boni.
Quid calx in clypeo sibi vult ferrata? magistrum
Ferrea mens, & vox ferrea nempe decet.
Quid magis? accipio ferrum, reddo ocyus aurum:
Emollit mores dum mea cura feros.
Ala quid? in cœlum vehit inclyta fama magistros;
Qui studijs animos excoluêre rudes.

Ars

D. M. D.

Integritas, vacuitas, iuris, vinosus, amator:
Atmo acto ferus est: ut non mitescere possit:
Si modo cultura patientem commodet aurem.
Horat.

M. Johannes Faber
Ex Lavinga: III Kalend.
Maij: Anno Christiano
clo Io XXCI.

XLIX.

Ars emollit mores.

Ad Martinum, Martini F. Rulandum.

QVid sua victrici præcingit tempora lauro
Syluestris tuus hic, anguiger, asper homo?
Fallor? an humanæ ceu magna ferocia mentis,
Fœdaq; barbaries primitùs esse solet:
Si tamen ingenuis exculta sit artibus: omnis
Iam morum feritas, asperitasq; fugit:
Sic qui laureolam quærit, Martine, perennem:
Serus vt hinc carpat florea serta nepos:
Arte priùs docta, cuius tibi cura sit vna,
Emollit mores, nec sinit esse feros?

XIX.

Labore, & constantia.

Ad Christophorum Plantinum.

Qvid sibi vult manus, è cœli quæ nubibus exit,
Et calamum fixum ductitat inde solo?
Quid, Plantine, rogas? Labor, & constantia, res sic
Perficit, inceptas auspice ritè Deo.
Sic tuus est felix labor, & constantia: quando
Tot lepidis auges secula nostra libris.
Et tua sentit opem cœlestis dextera dextræ:
Et tua iam triplici fama sub orbe volat.
Primum opus in studijs pietas sit sancta deorum:
Quod restat, constans perficit omne labor.

Animo

2280

+ horatius.

Dulce et decorum est pro patria
mori.

Christophorus Reichardus
Scripsit Lauingæ die
24 Septemb. Ao 83.

3286

+

=

Turpiter extinguantur ij, qui Bacche quærunt te.
Non bene me somis invigilasse Deis.

David.

Sat nulla Ebrietas, aut tanta sit, ut tibi
Eripiat si gra ct mter ucbrung nocet

Georgius Calsemair
Codanus 1583

XX.

Animo dat gloria vires.

Ad Sigismundum Feyerabendium.

QVod famæ inuigilare iuuat, laudiq; perenni:
Dum libros æuo tot, Sigemunde, sacras:

Laudo equidem: laudem labor hic, fructumq; reportat,
Quem sumis, magno fœnore nempe tibi.
Et pleno iam Fama simul Dea buccinat ore,
Quam pingis, triplici nomen in orbe tuum.

Applaudunt læto Musæ, Phœbusq; fauore:
Et studium famæ crescit honore tibi.
Macte animo, Sigemunde: volat tua fama per astra:
Cui spondet laurus sacra perenne decus.

AD EVNDEM.
PHILIP. LONICERVS.

Quæ Dea? Fama. caput victrix cur laurea cingit?
Hoc illi tribuit lætus Apollo decus.
Cur alacris latè volitantes explicat alas?
Virtutis studio se super astra leuat.
Pieria cur læta tuba clangente per orbem,
Excitat Eoas, Hesperiasq; domos?
Grata suos celebrat vinaci laude ministros:
Hos canit ætherijs buccina clara sonis.

Mon-

XXI.

Monstrat iter cœlo pietas.

Ad Christophorum Reusnerum Jurisconsultum.

MOnte super triplici stans rex, Leo, magne ferarum:
Quid fremis, & stellam cur geris vngue fero?
Mons triplex triplices hominis denunciat hostes:
Nam Caro, cum Mundo te, Sathanasq; premit.
Fortiter vt vincas, & ab his cum laude triumphes:
Mente leonina te supereſſe decet:
Immemoremq; tui, cœlum ſpectare, Deumq;:
Et magno curas ſpernere corde leues.

Sic

Sic pietas cœlo inscribet tua nomina: quo ceu
Fulgida conspicuo stella decore mices.

Ad eadem insignia.

GEORGIVS FROBENIVS. IC.

Tres colles ruber in clypeo leo possidet albo:
Trabs fulget duplex aurea, nigra triplex.
Stella manum decorat dextram natiua leonis:
Et galeam patulam fulua corona tegit.
Quàm benè Reusneros his nobilitauit in armis
Cæsar: quos virtus, arsq́, fidesq́ probat.

ADAMVS CLOSIVS SILESIVS.

Gloria virtuti se offert, ceu debita merces:
Magnanimus stellam sic leo iurè tenet.

Vita

NICODEMVS FRISCHLINVS Poëta & Com. Pal. Cæs.

AN, quia Nicoleos positum tibi nomen, & omen,
Idcircò effigiem scuta leonis habent?
Sicut enim duris animalia cætera membris
Vincit, & ore minax, & ferus vngue leo:
Sic tuus hic animus, vitio sublimior omni,
Multorum mentes vincit, & ora virûm.
Nam si nemo potest tibi se præponere vates;
Nec Rhetor, profitens iura, nec Historicus:
Verè es Nicoleos: populum qui robore vincis:
Ora nec immeritò scuta leonis habent.

PETRVS ALBINVS NIVEMONTIVS, Poëseos, & Historiæ Professor, in Academia Vitebergensi.

QVòd geris in clypeo fuluum, Reusnere, leonem:
Parcit Olor, vatum qui decus esse solet.
Nam stat huic laudum quoq; gloria salua suarum:
Cygnus es, & cygni vox tua voce sonat.
Sed leo quòd clypeum tibi fortis imagine pingit:
Egregijs meritis hoc datur elogium.
In pulcris quis te studijs constantior alter?
Ceu leo magnanimo robore pectus habet.

Quis virtute tibi certet? quis fortibus ausis?
Dum vigil assiduè docta Lycea colis.
Defendit catulos generosi vt cura leonis:
Sic tu Pieridas diligis vsq; deas:
Protegis & teneros, qui te venerantur, alumnos
Nec subeunt animo tædia longa tuo.
Sed quoq; nulla gerunt inter se bella leones:
Ceu tu concordes mente imitare feras:
Latus & officijs, pacis studiosus & almæ,
Omnibus esse bono, nemini obesse cupis.
Fortè gerit plures sub honesto pectore dotes,
Quæ tibi conueniunt gentis ob arma, leo.
Quas tuus Albinus præsens in tempus omittit:
Tractandasq; alijs vatibus insinuat.
Macte animo Leorine Leo: tua gloria toto
Orbe rugit: rugiet sed magis axe poli.

FINIS.

IVDI-

3360

Hic scopus ung erit; cunctis pdesse, nocere
Nemini, amare bonos, e tolerare malos.

J. Stigelius.

Posse Deum, e jura patefactu mente uereri
Omnibus oppositæ anchora firma malis.

Hæc in sui memoriam ornatissimo a
escenti Erhardo Stango, amico suo
scribebat Lauringa Paulus Rhin
tius Cygnocomas 20 Augusti 83.

336.b.

3374

IVDICIVM HIERONYMI VVOLFII DE POETIS LEGENDIS.

EX COMMENTARIO TVSCVLANARVM QVAESTIONVM SVPER illa verba M. Tullij Ciceronis:

Poëtæ ita sunt dulces, vt nõ legantur modò, sed etiam ediscantur. Hanc eruditionem liberalem, & doctrinam putamus, &c. 2. Tusc. quæst.

PVERILIS ætas quum neq; honestatem, neque vtilitatem intelligat: delectatione fabellarum, rerumq; mirabilium, quas poëtæ commenti sunt, ad doctrinæ studium excitatur: vnáque cum istis fabulis, & cõmentis, & eloquentiam discunt, & exempla vident virtutum, & vitiorum: & multis salutaribus præceptis instruuntur:

tur: si modò interpres fuerit eruditus: & ea ingenij dexteritate præditus: vt omnia trahere possit, & accommodare ad discentium vtilitatem. Poëseos autem dulcedinem, quò quisque scribendis versibus exercitatior est, quoq; artis poëticæ, & oratoriæ peritior: eò magis experitur. Sed quum adolescentia sit ad voluptates procliuior: mirum profectò est, tam paucos et iam ex ijs, qui liberaliũ artium magistri perhibentur, ordine perlegendis & Græcis, & Latinis poëtis delectari. Néque verò ita multi illi sunt: vt non vel vno anno ab vtriúsque linguæ perito, & nõ nimiũ curioso, quiq; nefas esse nõ putet, nescire quędam, euolui, & percurri possint. Græci autem veteres sunt, Orpheus, Musæus, Homerus, Hesiodus, Phocylides, Philolaus, Theognis, Pindarus, Aeschylus, Sophocles, Euripides, Aristophanes, Theocritus, Lycophron, Apollonius, Q. Calaber, & fragmenta quędam à Io. Camerario & Henrico Stephano collecta. Latini, Plautus, Terentius, Lucretius,

Artem quaevis terra alit. 338a

D. I. M.

Marcus Adelgreifius L
seipsu Latinglæ Ao 8
7 Jnvij

C. M. V. S. E. A.

Demost.

Τὸ δεδάχθαι τὰ μὲν ἀπὸ τῆς πόλεως κάλλιστον

ESIO.

Hæc ingenuo ac virtute præstanti
Erhardo Stangio, amicitiæ causa
scribebat Neoburgi ad Danubium
Johannes Vuernerus Leucopurgicus
Nariscus XVI Cal. Octobr. A. C. 98.

Univ. Bibl. Bonn